Maria Mater gratia

173 Zegarek kindyatkom naspu

diu

217

nie Est. XII str. 148

JM.

Estr. VIII, 378

MEDULLA CRUCIS PERPETUÆ

Lectissimis ſuavissimisque ardentium affectuum fructibus redundans.

Ex verè aureo doctissimi ac devotissimi Viri

R. P. JUDOCI ANDRIES
è Soc. JESU
CRUCIS PERPETUÆ
Opuſculo excerpta.

Typis MONATERII Olivenſis
S. Ord. Ciſtercienſis
imprimebat
Georgius Franciſcus Fritſch,
Factor.
ANNO M. DC. LXXXII.

ILLUSTRISSIMO
Et
REVERENDISSIMO
DOMINO, DOMINO
BONAVENTURÆ
De Niedzielsko
MADALINSKI,
Episcopo Vladislaviensi
& Pomeraniæ.

Domino & Patrono Colendissimo. F.

PRima salutis nostræ bellaria; quia Crucis Medullam, TIBI adfero Illustrissime ac Reverendissime

 Anti-

Antiſtes. Si cujus etenim palato æquiùs ſumptuoſum hoc noſtræ ſalutis debetur alimentum, certè Pontificio. Quibus nec in publicum aliter comparere licet, niſi eis Regium hoc Crucis præferatur opſonium; ne ullum vacet tempus, quo non eos hæc amaræ licet Crucis oblectet ambroſia. Hanc igitur & ego Tibi appono Antiſtitum digniſſime, guſtui futuram autumo: condimentum etenim illius eſt Diviniſſimus Servatoris Noſtri Cruor, qui Medullam hanc, non reſperſit tantùm ſed & imbuit copioſiſſi-

ſiſſime. Erit non ambigo hæc quoque quam Pontificio in Vladiſlavienſem Cathedram ingreſſui Tuo præfero CRUX non vanum augurium Archi-Præſuleæ in brevi Crucis, cui jam omine fortunato, non vota tantùm noſtra, ſed repetita magno Eccleſiæ emolumento Præſuleæ Dignitatis Tuæ faſtigia præluſerunt. Vinces in triumphali hoc Crucis ſigno inimica fatorum tela, ac demum poſt ſera fata fortunatus Victor certam in Cruce ſalutem, utpotè Medullâ illius paſtus feliciùs, quàm olim Achilles Leonum, Par-

dorumque viſceribus & medullis.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Celſitudinis Tuæ

Servus obſequentiſſimus

Balthaſar Alexander Giſſa, Gneſnenſis, Vladiſlavienſis, Varſavienſis Canonicus, Decanus Volborienſis, Officialis Generalis Vladiſlavienſis.

BENEVOLO LECTORI.

IN *parvo velut Nucis putamine, magnam heroicarum virtutum, ardentiumq́ recolendæ Passionis Dominicæ affectuum, hic libellus occulit Iliadem,* MEDULLAM CRUCIS PERPETUÆ *intitulatam : vel eò fructuosiùs à devotis ambiendam, quò animæ delicatioris palato, Divinam ingerit ſimul, atquè exſatiat orexim. Nec omnibus enim, ſive per otium, ſive per ignavæ*

mentis torpedinem, durum & solidum spinosæ Crucis, fas est imbelli dente premere & mandere cibum; MEDULLA *hæc est, & Succus vitæ, impinguans, & in robur boni profectûs provehens, perfectumq́ in* CHRISTO *reddens Virum, qui se in novam, imò Divinam assurrexisse vitam miretur. Proinde si tibi Passio Christi Salvatoris cordi est, in ea contemplanda brevi immorans, ignitas statim ardentium desideriorum, & piorum in ipsam affectuum concipies flammas, quas argenteis lachrymarum rivulis sopies, imò accendes, dum totus in*

ignem resolvêris. Quid enim in animis hominum, etiam nescio quo gelido rigore contractis tam suavis ejus cogitatio non effecerit? Quid, vel simpliciter objecta mentibus efferis, Crucis horrida facies tam vecors non perdomuerit? Aut quæ expeditior illa via fuerit, quæ amplexibus penduli è Crucis stipite Sponsi, gemebundam interserit Sponsam? Facto periculo res probatione non egebit. Quare hæc Medulla Affectus Crucis ab æterno electæ: ab Incarnatione, non in voto solo perpetuo, sed reipsâ habitæ, inq; Sacrificio Altaris perennantis

continebit. Accedent his affectus perpetui Gladii Reginæ Martyrum; Omnium deniquè postremò Officium parvum, de septem doloribus ejusdem. Tu interim hâc pinguissimâ inescare Medullâ, & in benignissimo DEO optimè vale.

PRO CRUCE AB ÆTERNO ELECTA
Affectus Varii.

1. *Erga Deum PATREM.*

HEu noſtra vecordia! Parentis inquam noſtri, in cujus arbitrio omnia noſtra erant conſtituta, ordini, directioniq́ue miſericordiæ Tuæ nos ſubtraximus, & à te averſi in exitium ſempiternum præcipitavimus! Nihil ſupererat opis, nihil ſubſidii ab ulla natura creata; quia à nulla juſtitiæ tuæ condigna ſatisfactio pro crimine noſtro poterat repræſentari. Actum prorſus videbatur de genere noſtro, nec ulla ſpes ſalutis in poſterum ſupereſſe: Cùm ecce tu DEus meus, miſericordia mea, noſtram perditionem miſeratus ſuccurriſti; ſed admirando planè, & inaudito

consilio, omnibusque sæculis obstupescendo; nimirùm ut Filius tuus, tibi consubstantialis & coæternus, nostram naturam assumeret, & homo passibilis, similis nobis effectus, Divinæ Justitiæ nostro nomine, suis cruciatibus, suâque morte satisfaceret. O quàm indebita miseratio, quàm gratuita, & probata dilectio, quàm inopinata dignatio! quàm stupenda dulcedo. Regem gloriæ pro vilissimis mancipiis, iisque suis inimicis assumere formam servi; tot suscipere labores & dolores: ipsam denique Crucem sustinere ac mortem? Quis unquam parens simile quid fecit pro liberando filio, aut filius pro parente, aut amicus pro amico, quale fecit DEus pro homine, Creator pro Creatura, suprema Majestas pro vermiculo?

2. *Erga eundem PATREM.*

PAter misericordiarum, & DEUS totius consolationis, quas tibi referemus gratiarum actiones, & quibus obsequiis infinitæ charitati, & misericordiæ tuæ respondebimus? Sic enim cùm adhuc inimici, & perditi essemus, nos dilexisti, ut Filium tuum Unigenitum, carnem nostram assumere, & Fratrem nostrum fieri volueris; ut in ea nobiscum versans, tenebras nostras discuteret; viam salutis ostenderet; omnium virtutum exempla præberet, Divinæ Justitiæ pro nobis satisfaceret, sangvine suo nos
ablueret,

abluerct, & ſuo Spiritu nobis communicato, Filios tuos, & hæredes regni tui, ſuosq; cohæredes efficeret. Magnum pietatis Sacramentum, quod in carne apparere feciſti; Admirabile opus miſericordiæ, quod noſtrâ cauſâ perpetrâſti! Tantáne res erat ſalus noſtra, ut eam tanti æſtimares, & perditam tantis impendiis ſarcires? Tam pretioſæ in oculis tuis erant animæ noſtræ, ut eis redimendis tantum deſtinares pretium?

3. *Erga* DEUM FILIUM.

IN miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dicis Redemptor meus Domine. Sed quantâ, vel quali? Tantâ, quæ ſæculis reſpondeat infinitis; tali, ut cùm nutu Divino, vel unico potuiſſes nobis parcere, non corruptibilibus auro vel argento, redempti ſumus; ſed tui ipſius pretioſo ſangvine, quaſi Agni immaculati occiſi ab origine mundi.

Viciſti Domine miſericordiâ tuâ omnia exempla antiqua & nova; Viciſti omnia ingenia, & omnem expectationem, omnium rerum creatarum; Viciſti amoris miracula univerſa! Adeòne diligens me, tradidiſti temetipſum pro me, ne perennibus traderer flammis? Ergo non diligam te, ſed tradam me concupiſcentiis meis, vel his N. vel iſtis N? Tradam me juratis hoſtibus tuis illis N. vel illis N? Tradam me in-

ſaniis

ſaniis falſis ? Tradam me incendiis ſempiternis ?

Meliora DEus meus, meliora! Potiùs trado me tibi, vel nunc, ut diſponas de me in tempore, & æternitate, ut cantem miſerationes tuas ſtupendas, & magnas in æternum, & ultra.

4. *Erga eundem FILIUM.*

LUdebam ego foris in platea, in ſecreto Regalis cubiculi ſuper me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc unigenitus ejus: Exiit poſito diademate, ſacco veſtitus, ſparſus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quòd morte damnatus eſſet ſervulus ejus. Intueor illum ſubitò procedentem, ſtupeo novitatem, cauſam percunctor, & audio. Quid facturus ſum? Adhucne ludam, & deludam lachrymas ejus? Planè ſi inſanus ſum, mentis inops, non ſequar eum, nec ſimul cum lugente lugebo? Ecce unde pudor!

Ecce mittitur Virginis Filius, Filius DEI Altiſſimi, & jubetur occidi; ut vulneribus meis pretioſo ſangvinis balſamo medeatur. Verùm ſi diligenter obſervem præcepta medici, erit etiam conſolationis occaſio. Sicut enim gravem agnoſco morbum, cui tanta apponitur medicina, ſic ex hoc ipſo non incurabilem eſſe conjecto. Neque enim pretioſiſſimas ſpecies fruſtra inſumeret medicus ſapiens, imò

Sapien-

Sapientia ipsa: Porrò frustra insumi constat, non solùm si absque eis facilis esset curatio: Sed multò magis, si & cum eis sit impossibilis. Animat itaque ad pœnitentiam, & accendit vehementius desiderium, spes concepta.

Sana me itaque mi Domine, & sanabor: Salvum me fac, & salvus ero. Non pereat in æternum anima illa, ab æterno sic dilecta; in tempore sic redempta, sed respiret illa, ac vivat in miserationibus tuis multis, & magnis nimis.

5. *Erga SPIRITUM Sanctum.*

EXaudi, exaudi, exaudi me DEUS meus, Domine meus, Rex meus, Pater meus, causa mea, spes mea, res mea, honor meus, domus mea, patria mea, salus mea, lux mea, Vita mea! Exaudi, exaudi, exaudi me more illo tuo paucis notissimo. Jam te solum amo, te solum sequor, te solum quæro, tibi soli servire paratus sum; quia tu solus justè dominaris, tui juris esse cupio. Jube quæso, atque impera quidquid vis, sed sana, & aperi aures meas, quibus voces tuas audiam. Sana & aperi oculos meos, quibus nutus tuos videam. Expelle à me insaniam, ut recognoscam te. Dic mihi, quà attendam, ut aspiciam te, & omnia me spero, quæ jusseris, esse facturum.

Recipe quæso fugitivum tuum Domine clementis-

mentisſime Pater: Jam jam ſatis pœnas dederim, ſatis inimicis tuis, quos ſub pedibus habes, ſervierim: ſatis fuerim fallaciarum ludibrium. Accipe me ab iſtis fugientem famulum tuum; quia & iſta me quando à te fugiebam, acceperunt alienum.

Ad te mihi redeundum eſſe ſentio; pateat mihi pulſanti janua tua; quomodo ad te perveniatur, doce me. Nihil aliud habeo quàm voluntatem: nihil aliud ſcio, niſi fluxa, & caduca ſpernenda eſſe, certa & æterna requirenda. Hoc facio Pater, quia hoc ſolùm novi: Sed unde ad te perveniatur ignoro. Tu mihi ſuggere, tu oſtende, tu viaticum præbe. Si fide te inveniunt, qui ad te refugiunt, fidem da: ſi virtute, virtutem: ſi ſcientiâ, ſcientiam. Auge in me fidem, auge ſpem, auge charitatem, O admiranda & ſingularis bonitas tua!

6. *Erga eundem S. SPIRITUM.*

PRæ cæteris nos dilexiſti, & divitias bonitatis tuæ copioſiùs in nos effudiſti. Nimirum hoc eſt benignitatis ingeniũ, demittere ſe ad infima, curare infirma, colligere abjecta, attollere humilia, & ubi major eſt inopia, ibi magis ſuas opes erogare, & opem ferre. Verè tu es amor omnipotens, benevolentisſima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, æterna dulcedo, creans mentem ad te participandum; vivifi-

cans

cans ad ſentiendum; afficiens ad appetendum; dilatans ad cupiendum; juſtificans ad promerendum; accendens ad zelum; fæcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam: moderans ad ſapientiam, roborans ad virtutem, viſitans ad conſolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad ſecuritatem.

Sic nos coronas in miſericordia, & miſerationibus, ſic undique beneficiis tuis imples & cingis, ut nobis benignitatem & amorem tuum declares, & ad viciſſim amandum, excites. Hunc mille modis in nobis accendis, de ejus ardore in te colliqueſcamus, & abſorbeamur, ſicut aquæ gutta in vini dolium immiſſa, in vinum convertitur, ſi colorem & ſaporem ſpectes. Amor enim facit amantem affectu, & ſenſu à ſe deficere, & in dilectum mutari. Ita enim amantem erga dilectum afficit, ut quantùm in ſe eſt, vi affectûs ſuum eſſe exuat, ut induat dilectum, unumque cum illo evadat. Nihil ampliùs de ſe, ſuiſque commodis cogitat, non ſecùs ac ſi jam in rerum natura eſſe deſiiſſet: sed totus cogitatione, & affectu eſt in dilecto, ejuſque duntaxat bona cogitat, deſiderat, & procurat.

Sic amor facit hominem oblivi ſci ſui, à ſe deficere, ſibi mori, & vivere in dilecto. Hoc

modo

modo qui adhæret Deo, unus ſpiritus cum eo efficitur. Hæc eſt perfectio & conſummatio Sanctorum, & vita æterna, unum cum DEO per vim amoris effici.

7. *Erga Sanctisſimam TRINITATEM.*

BEnedicta ſit Sancta Trinitas, atque indiviſa Unitas, confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Siccine ò bonitas infinita, in charitate perpetua dilexiſti me, & ideò attraxiſti me miſerans mei? Utinam fuiſſem ab æterno, & ab æterno te amâſſem amore Seraphico! Utinam nunc ſaltem amem te! ſed amem ex toto corde, amem ex tota anima, amem ex omnibus viribus meis, ò Pater, ò Fili, ò Spiritus Sancte, ò Beata Trinitas! Abſorbeat ò DEus meus mentem meam ab omnibus quæ ſub cœlo ſunt ignita, & melliflua vis amoris tui, ut tibi ſoli inhæream, ſolâque tuæ ſvavitatis memoriâ paſcar! O vita! per quam vivo, ſine qua morior, ubi quæſo es? ubi te inveniam? propè eſto in animo, propè in corde, propè in ore, propè in auribus, propè in auxilio, quia amore langveo, quia ſine te morior, & moriens ingemino, Benedictus ſit Pater, Unigenitusque Dei Filius, Sanctus quoque Spiritus, quia fecit nobiscum miſericordiam ſuam.

8. *Erga eandem Sanctissimam Trinitatem.*

BEnedicimus Deum cœli & coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam! Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna ò Beata Trinitas! Sed nunquid laudabit te, & benedicet te Domine, qui in peccatis conceptus & natus, & nutritus est? non est enim speciosa laus in ore peccatoris. Laudet te igitur DEUS meus incomprehensa potentia tua, incircumscripta sapientia tua, ineffabilis bonitas tua. Laus tua Domine tu ipse es, charitas Pater est, gratia Filius, communicatio Spiritus Sanctus, ò Beata Trinitas. Laudet te etiam anima mea, sed conversa. Amplius converte me Domine, & convertar; trahe me miserans mei, trahe hanc rebellem voluntatem, trahe post te; trahe me in funiculis charitatis tuæ, ut amore omni alieno, & omni amore proprio generosè superato, te unum unicè amem, ò indivisa Unitas, ò Beata Trinitas!

PRO CRUCE PERPETUA

Ab Incarnatione in Voto, & reipsa habita. Affectus varii, ad Christum.

Affectus Primus.

O Mirum Christi amorem, qui à primo Incarnationis instanti, in tenello corde cæpit incendi! Insiliens amor ille in cor illud flammarum capacissimum, tale excitavit incendium, ut ad omnes quaquaversùm ætates suum explicaret ardorem. Apparuit jam tum Dominus in flamma ignis de medio rubi, de medio spinarum, de medio Crucis. Vadam & videbo visionem hanc magnam, visionem omnibus præteritis, atque venturis sæculis stupescendam. Amor Christi mei ardet in rubo & cruce ista, tantâ conflagratione; ut paratissimus fuerit ab orbis ortu, ad orbis occasum istis spinis compungi, in ista cruce extendi pro me ac fratribus meis?

Adeòne ò Deus Patrum meorum stas in rubo doloris, stas in igne amoris istius, ut liberes me de terra Ægypti, de jugo Pharaonis, de servitute Dæmonis, de vinculis peccatorum? Benedicant te Domine omnes miserationes

tuæ,

tuæ, & ad te, ſed nobis comitantibus, revertatur amoris incendium. Vivam ego ut Salamandra in iſto igne divino, & cum tribus pueris in Babylonica fornace cantantibus, accinam quoad vivam: Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Affectus Secundus.

O Chriſte, nunquid non tuus amor eſt, qui Chriſtianos trahit extra ſe, qui reddit attonitos, cùm primum tui cordis ſecreta illis aperis, expeririq́ue concedis, adeò miranda myſteria? Hinc illa nimirum viſcerum liquefactio, quâ cordis ima Divino amore inflammantur. Hinc martyriorum deſideria; hinc lætitia in adverſis, hinc refrigeria craticulæ; hinc inambulationes in ardentisſimis prunis, cum ea voluptate, quæ perciperetur ex roſis; hinc cupiditas tormentorum, perinde ac epularum, gaudere de iis rebus, quas reſpuit mundus, eas amplecti quas idem horret. *Mens*, (ajebat S. Ambroſius) *quæ Chriſto* JESV *feliciter nupſit quæque ei in Crucis thalamo libens, volensque conjuncta eſt, nihil tam glorioſum exiſtimat, quàm ut Crucifixi ſui, injurias ſecum ferat.*

Actus Tertius Amoris.

Qua ratione, ò mi amantisſime amator compenſabo ego iſtum tuum amorem?

Illa vera ac ſola compenſatio eſt, cùm ſangvis ſangvine ſolvitur. Dulcisſime Domine agnoſco hoc debitum, agnoſco: ne quæſo permittas me unquàm ab eo exſolvi; jube potiùs me iſto ſangvine tuo delibutum, confixumq; clavis ex iſta Cruce pendere. O Crux recipe me ſinu ac complexu tuo, recipe corpus meum, & dimitte corpus Domini mei. Dilatare corona, ut inter iſtas ſpinas, caput quoque meum inſeram. Dimittite clavi iſtas innocentisſimas manus, configite cor meum, illudque compasſione & amore vulnerate. Ob hanc cauſam Apoſtolus tuus ſcribit mortuum te eſſe, ut in vivos, & mortuos imperium obtineres, non minis & pœnis, ſed amoris operibus. Refer me in numerum, ſive malorum malis, ſive mortuorum; & agnoſcam me captivum ſub tui amoris dominio.

Affectus Quartus Amoris.

O Quàm mirabili pugnandi genere pugnâſti Domine, ut habemus in Prophetis! Non enim eluvione iterum, aut igne cœleſti, ſed pacis, amorisq; illecebris in tuam poteſtatem humana corda redegiſti: non occidens, ſed occiſus; non alienum, ſed proprium è Cruce cruorem, largè abundanterque profundens. O miram, ò novam, veritatem, quòd ante è cœlis, ubi tibi miniſtrant Angeli, non feciſti:

Pere-

peregiſti poſt in Cruce latronibus aſſociatus. O cordium expugnator, diripe, quæſo cor meum, Tu, qui violens, feſtinusq; prædator haberis. Quod tandem ferrum ita acutum erit, quis arcus adeò fortis ac contentus, qui posſit verum adamantem penetrare, ac rumpere? Tu cordium noſtrorum duritiem effregiſti: Tu mundum univerſum amore tuo inflammâſti, quod tu ipſe per Prophetam pollicitus eras: *Igne zeli, & amoris mei devorabitur omnis terra.* Sophon. 3. Et in Evangelio idem ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur.* Luc. 12. Hoc idem agnovit Vates ille qui dixit: *Utinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes, aquæ arderent igne.* Iſai. 64. O dulcem amorem! O ſvavem flammam quæ ſic incendis pectora glacie ipſâ rigidiora, & in amorem convertis! Hic eſt præcipuus ſcopus adventûs tui ut mundum amore compleres.

Affectus Quintus Amoris.

O Crucifixe amor meus, Tua non modò Crux, ſed ipſa corporis ſpecies, atque poſitio nos ad amorem vocat. Inclinas caput, ut peccatores, quantumlibet ab illis injuriâ affectus, oſculeris: diſtendis brachia, ut amplectaris: oſtendis trajectas manus, ut bona omnia largiaris: apertum pectus, ut intra viſcera abſcondas: confixos pedes, ut nos operia-

periaris, atque ut nullo unquàm tempore à nobis recedas. Quamobrem cùm te Domine, in Cruce contemplor, quidquid meis se objicit oculis, ad amandum invitat Lignum, species, mysterium, vulnera tui corporis, sed inprimis amor interior clamat, ut amem: nec unquam ex memoria excidat amor tuus. Si oblitus fuero tui ò bone JESU, oblivioni detur dextera mea: Adhæreat lingva mea faucibus meis, si non meminero tui, etsi non proposuero te in principio lætitiæ meæ. Pendens semper ante oculos meos ò vita mea, obverseris semper menti meæ ò amor meus; ad te semper suspirem ò desiderium; ad te semper confugiam ò asylum meum; semper advolvar pedibus tuis ò mi DEus: semper exosculer manus tuas ò mi Domine; semper involem in amplexus tuos ò mi sponse; & immorer amori tuo, & immoriar!

Mysteria CRUCIS Perpetuæ, ab initio Nativitatis, usque ad sepulchrum, cum suis affectibus, piiq; desideriis.

I. Ab Æterno Crux Electa.

IN misericordia sempiterna misertus sum tui dixit Redemptor tuus Dominus. Isaiæ 54.

Typus.

Typus. Agnus.

QUi occisus est ab origine mundi. Apoc. 13.

Prototypon.

AB æterno promptum exhibuit se Servator noster, ut in tempore pro nobis in Cruce moreretur.

Affectus.

O Abyssus bonitatis, tantañe res erat salus peccatricis animæ meæ, ut ei expiandæ, tantum sacrificium ab æterno destinares? adeone non taurorum, aut vitulorum sangvine: non corruptibilibus auro vel argento redemptus sum, sed tui ipsius pretioso sangvine, quasi Agni immaculati, de quo mihi toties dicitur: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: qui jam quotidie in ara Eucharistica im̃olatur? Amabilissimam hanc charitatem tuam, ò mi Jesu admiror, & veneror: æstimo, & laudo, magnifico, & benedico quantùm possum: neq; possum quantùm volo: neque velle valeo, quantùm debeo. Quid igitur? Quoties respi-

ro, toties ſuſpiro, atque deſidero totis medullis cordium amare te: amare te cordibus omnium hominum, & Angelorum: ac die noctuque clamare cum omni Creatura quæ in cœlo eſt, & in terra: Dignus eſt agnus, quem in Venerabili arca præſentem credo, & adoro: Dignus eſt Agnus, accipere virtutem & Divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Amen.

2. INCARNATIO.

INgrediens mundum dixit: *Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem adaptâſti mihi.* Hebr. 10.

Typus. Samſon.

E*Rit puer Nazaræus Dei ab infantia ſua, ex utero matris ſuæ, usque ad diem mortis ſuæ.* Judic. 13.

Prototypon.

A Primo usque ad ſupremum vitæ diem, loco veterum victimarum, Chriſtus nova fuit oblatio.

Affe-

Affectus.

Firmiſſimâ fide credo, o Pater æterne, vetera Sacrificia, neque ex parte offerentis, te penitùs placare; neque ex parte rei oblatæ tibi placere potuiſſe. Unde Unigenitus tuus, in quo tibi benè complacitum eſt, ſeſe in novam victimam, pro peccatis noſtris offerens, cum flagranti deſiderio ſubeundæ Crucis deſcendit de cœlis, ac jam tum dixit: Ecce venio. Jam tum paratus eras, ò amantiſſime JESU, amore amoris mei, in manus hoſtium venire, vinculis conſtringi, opprobriis laceſſiri, flagris concidi, ſpinis coronari, ad mortem rapi, clavis in Cruce configi. Etiam nunc tibi in Altari Euchariſtico, quaſi recèns incarnato, mens eadem, idem ſtudium, idem ardor, ſi neceſſe foret, mei amore mori. O amor meus, quid retribuam tam ſtupendo affectui tuo? Voluntariè ſacrificabo tibi, hoſtiam laudis, & obſequii in hoc N. & illo N. ex toto corde meo, affectuque omnium creaturarum, quæ unquàm fuerunt, ſunt, & erunt. Omni momento expeditus, dicam tecum: Ecce venio. Amen.

3. NATIVITAS.

Parvulus natus eſt nobis: Factus eſt principatus ſuper humerum ejus, Iſai. 9.

Typus. Moyses infans.

Sumpsit fiscellam scirpeam, & linivit eam bitumine, posuitq́; intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis. Exodi. 2.

Prototypon.

Christus ærumnis objectus, natus in stabulo, fasciis involutus, in præsepio reclinatus.

Affectus.

Posito diademate, ac sceptro divinitatis Unigenitus Dei ante sæcula genitus, pro homine fis filius hominis, in tempore nasceris, in stabulo reclinaris? Quod natura hîc non habet, usus nescit, ignorat ratio, mens non capit, pavet cœlum, stupet terra, hoc ego credo, hoc adoro, hoc glorifico, hoc confiteor, hoc amplector. O Divinitas tremenda! ò Humanitas amanda! ò DEus! ò homo! ibi magnus in cœlis es! & hîc parvus in terris es! ibi regis sydera, hîc sugis ubera: ibi tonans in nubibus, hîc vagis in pannis, ibi sedes inter Angelos, hîc jaces inter bestias: ibi dives in throno, hîc paupe-

pauper in fœno: Cæterùm quàm ibi olim præsens in ſtabulo, tam hîc in templo: quàm certò ibi in brachiis S. Joſeph, tam hîc in manibus Sacerdotis: quàm ibi verè materno exceptus es gremio, tam hîc ore, lingvâque fidelium; ò ſi pari reverentia & amore! Utrumq; hoc imitari pro viribus conabor, ope tua fretus, ò Virgo Mater. Amen.

4. CIRCUMCISIO.

Conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer. Luc. 2.

Typus. Sephoræ Filius.

Tulit Sephora acutisſimam petram, & circumcidit filium ſuum & ait marito: Sponſus ſangvinum tu mihi es. Exodi 4.

Prototypon.

OCtiduo à Nativitate ſua circumciſus eſt parvulus JESUS.

Affectus.

AN ignoro, unde ſit mihi excitandus dolor, & timor unde? utique ex conſideratione remedii, periculi mei æſtimo gravitatem. Sanus mihi videbar, & ecce mittitur Filius Dei altiſſimi, & pro me jubetur jam circumcidi, & poſteà occidi, ut vulneribus meis pretioſo ſangvinis balſamo mederetur. Agnoſce, ò anima mea, quàm gravia ſint vulnera, pro quibus neceſſe eſt, hunc Divinum infantulum vulnerari. Si non eſſent hæc ad mortem, & mortem ſempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius jam circumcideretur, & poſtea moreretur. Quid ad hæc ò anima mea? Parce ò Domine, parce ſeriò pœnitentis, in cujus rei argumentum circumcidere deinceps ſtatuo quidquid meum eſt: intellectum ne nimium ſapiat: voluntatem ne illicita cupiat: memoriam, ne noxia reminiſcatur: oculos ne vana videant: aures, ne prava percipiant: lingvam, ne perverſa loquatur: totum corpus, ne minùs decenti voluptate capiatur. Ita fiat, mi optime JESU: idq; obteſtor per illum ipſum cruorem, quem tum fudiſti, quique reliquo conjunctus ſangvini, in ſacris noſtris Altaribus adeſt. Amen.

5. OBLA-

OBLATIO IN TEMPLO.

TUlerunt eum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Luc. 2.

Typus, Samuel.

ADduxit eum ad Domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus: & immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli. 1. Reg. 1.

Prototypon.

INfans JEsus per manus parentum suorum in templo oblatus est.

Affectus.

QUàm Sancta, quàm nobilis hæc oblatio! Si considero offerentem, est justus Simeon, est Virgo Mater, est ipsemet Christus. Si contemplor oblatum, offertur Prophetæ vita in pace finienda; offertur cor Virginis in qua ple-

nitudo gratiarum: offertur cor Christi, in quo omnes Thesauri Divinitatis inclusi. Si attendo affectum, magnus est Simeonis, major MARIÆ, maximus JESU. Si finem intueor, est omnium mortalium salus. Quàm sancta, quàm nobilis hæc oblatio! Quid interea ego? in simplicitate cordis mei lætus offero universa, & sic universa, ut ne pilum unum, vel ungulam hujus victimæ sibi Dæmon, mundus, caro, retineat. Dispone de me DEus meus, de bonis fortunæ; corporis, & animæ, dispone de me toto, & in tempore, & in æternitate. Offero hoc meum holocaustum in unione oblationis, quam in primo in orbem introitu; primoque in templum ingressu: deinde per omnem vitam: denique in ultima cœna, ac monte Calvariæ obtulisti, & etiamnum in sacrosancto Missæ sacrificio offers. Custodi hanc voluntatem meam DEus meus, quam quotidie tecum custodire decerno. Amen.

6. FUGA IN ÆGYPTUM.

Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Matth. 2.

Typus

Typus. Abram.

D*Escendit Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi.* Gen. 12.

Prototypon.

UT ſubduceret ſe gladio furentis Herodis, Joſeph cum Matre, ejusq́ue filiolo ſeceſſit in Ægyptum.

Affectus.

NOn tantùm olim in Bethleemo, ſed nunc ubique gentium furor, gladius, cædes, fuga, gemitus, comploratio. Quid dicam ò magne exercituum Deus? Peccati pœnam ſentimus, & peccandi conſvetudinem non mutamus. Vita in dolore ſuſpirat, & in opere non ſe emendat. Si expectas, non corrigimur: ſi vindicas, murmuramus. Si extenderis manum, facienda promittimus; ſi ſuſpenderis gladium, promiſſa non facimus. Si feris, clamamus, ut parcas; ſi parcis, provocamus ut ferias. Habes Domine confitentes reos. Gravius eſt quod commiſimus; levius quod toleramus. Juſtus es Domi-

ne, & rectum judicium tuum! Verùm, quia posuisti divinam mensam adversùs eos qui tribulant nos; & nosti, quid sit persecutio, gladius, fuga, dolor, & lachrymæ, ad te clamamus gementes, & flentes, & millies cum tota Ecclesia iteramus, dum bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium: idemque auxilium præsta, ut quisque peccata, bellorum causas, & ego hæc N. N. mea devitem, Amen

7. AMISSIO PUERI DUODENNIS.

Ecce Pater tuus, & ego, dolentes, quærebamus te. Luc. 2.

Typus. Tobias Junior.

Cæperunt ambo simul flere, eò quòd die statuto, minimè reverteretur filius eorum ad eos. Tob. 10.

Prototypon.

Admodùm solicitè & dolenter fuit

fuit quæsitus à parentibus puer duodennis, dum esset amissus.

Affectus.

QUàmdiu gemens clamabo, ubi es DEUS meus! Te quæro foris, & intus, & sursum, & deorsum, nec usquàm invenio, qui tamen ubiq; es. Siquidem tenes omnia, imples omnia, complecteris omnia, superexcedis omnia, sustines omnia Undique omnia circumplectendo imples, implendo circumplecteris; sustinendo superexcedis, superexcedendo sustines: sursum regens, deorsum sustinens, extra circumdans, interiùs penetrans. Nihilominùs te mihi præsentem quæro: apud me stantem insequor: me intuenti dico, cur avertis faciem tuam à me? Quæ monstra sunt ista? verùm non ago de præsente omnibus substantiâ tuâ, sed de propriâ mihi gratia tuâ, de auxilio tuo: de affectu tuo, de amplexu tuo: quem sæpè expertus sum, præsertim cùm te reperi in templo & altari isto, & iterum spero reperiam. Tunc dicam ex totis præcordiis meis, jam quem quæsivi teneo, non dimittam, propter ista N. Vel illa solatiola humana, non dimittam. Amen.

8. LABOR FABRILIS.

N*Onne hic est faber Mariæ filius?* Mar. 6. Typus.

Typus. Jacob.

Per viginti annos in domo tua servivi tibi. Gen. 31.

Prototypon.

CHriſtus annis multis, vulgaris inſtar opificis, fabrilibus muniis, & domeſticis functionibus operam impendit.

Affectus.

Filii primi Adæ, cui dictum fuit, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo: filii Adæ quid ſtatis totâ die otioſi? quid tempus veſtrum nugando, ludendo, epulando (non audeo dicere plura) conſumitis? Reſpondetis, ita vos vivere, ut tranſeat tempus. Itane verò ut tranſeat tempus, quod vobis ad ſalvandam animam: ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam: ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam, miſeratio Conditoris indulget? Filii ſecundi Adæ, quid ſtatis totâ die otioſi? cùm ille Filius Dei altiſſimi, ille qui fabricatus eſt auroram, & ſolem, ille tantus, ac talis fabrili labore triginta propè annos expleverit? O mi Domine

Domine, qui etiamnum ubique operaris mira, & magna, non tantùm transmutando panem, vinumque in Corpus & Sangvinem tuum: sed ingentia dona, per idem Sacramentum animabus fidelium conferendo da mihi quod maximè volo, optoque operari, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, operari salutem meam in isto N. vel isto N. Amen.

9. MORS S. JOSEPH.

ADfuit morienti JESUS & MARIA, *Teste S. Bernardino Senen. tom. 3. art. 2. cap. 3.*

Typus. Joseph.

MOrtuus est; & conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto. Gen. 47.

Prototypon.

UT Patriarcha Joseph in conspectu fratrum suorum quos aluerat, vitâ functus est; ita S. Josephus,

ſephus, præſentibus JEſu & Maria quos ſuo labore nutrierat.

Affectus.

EXtremum vale, inquit S. Joſephus, ò benedicta inter mulieres Sponſa mea dilectiſſima, cujus caſtiſſimis amoribus ſemper arſit cor meum, & nunc iisdem liquefiunt intima viſcera animæ meæ.

Extremè vale, ò benedicte Domini: ò amantiſſime fili mi JEſu, decore nimis, & amabilis ſuper amorem hominum, & Angelorum. Sicut mater amat unicum filium ſuum; ita ego te dilexi, cujus ſvaviſſimo conſpectu ſemper ſatiatus fui, ampliusque ſatiabor cùm apparuerit gloria. O me nimium felicem, quòd mihi tot annis datum inter duo hæc Divini amoris incendia flagrare; & jam ſpero dabitur conflagrare. O ſi moriatur anima mea morte juſti iſtius, & fiant noviſſima mea hujus ſimilia! O Maria Sponſa S. Joſephi adſis & mihi in hora mortis meæ! O JEſu alumne S. Joſephi, dum in extremo vitæ meæ dignaberis è Templo venire ad me, & ſacro viatico munire me, ne permittas me ſeparari à te: in hora mortis meæ voca me, ut amem te in ſæcula ſæculorum. Amen.

10. TENTATIO DIABOLI.

ACcedens tentator dixit ei: Si filius Dei es: dic ut lapides isti panes fiant. Matth. 4.

Typus. Job.

DIxit ergò Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est. Job. 2.

Prototypon.

DUctus est Dominus à spiritu, ut tentaretur à Diabolo.

Affectus.

CLementissime mi JEsu, qui Diabolum ad te accedentem non rejecisti: me licet conspectu tuo indignissimum sub aspectum tuum venire permitte. Ausus est ille nequiter dicere: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant: in simplicitate cordis mei audeo ego dicere; cùm filius Dei sis, dic ut panes isti, quos in Sacerdotum manibus intueor, divinissimum corpus tuum fiant. Quia semel cæpi, loquar ad Dominum cùm sim pulvis & cinis. Cùm per verba mi-

ba ministrorum tuorum, tua virtute divinitùs operante, confectum esse certissimè credam, beatissimum corpus tuum, animâ, & divinitate comitantibus: Tu loquere Domine, & dic animæ meæ: Salus tua ego sum. Ego verò quoties te accedam, ingenti fiducia dicam: Anima Christi, sanctifica me: Sangvis Christi inebria me: Aqua lateris Christi lava me! Passio Christi conforta me: ò bone JEsu exaudi me: intra vulnera tua absconde me, ab hoste maligno defende me. Amen.

II. FATIGATIO AD FONTEM.

JEsus ergò fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Joann. 4.

Typus. Eliezer.

PAuxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. Gen. 24.

Prototypon.

CHristus defatigatus aliquid aquæ ad bibendum petit à muliere Samaritana.

Affe-

Affectus

OBstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer! Duo enim mala fecit anima mea: Te DEum dereliquit fontem aquæ vivæ, & fodit sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Hei mihi! quàm dissipui in sectandis his N. vel illis N. mundi bonis! siquidem in te possideo bona vera, cùm alia bona cuncta sint falsa: bona pura, cùm alia, sint felle permixta: bona ad manum parata: cùm alia sint procul quærenda: bona perennia, cùm alia sint caduca. Verè omnis qui bibit ex aquis his, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam mihi dabis, non sitiet in æternum. Domine, da mihi obsecro hanc aquam, ut non sitiam ampliùs: da mihi teipsum, ad quem desiderat anima mea, sicut desiderat cervus ad fontes aquarum! Desidero te millies, mi JEsu quando venies! Veni Domine, tu solus deliciæ meæ, fiducia mea, gaudium meum, tranquillitas mea, suavitas mea, protectio mea, possessio mea, thesaurus meus, DEus meus & omnia. Amen.

12. IRRISIO.

N*Onne benè dicimus nos, quia Samaritanus es, & Dæmonium habes?* Joan. 8. Typus.

Typus. Elisæus.

I*Lludebant ei dicentes: Ascende calve, ascende calve.* 4. Reg. 2.

Prototypon.

COntumeliosis Verbis Christus impetitur.

Affectus.

NOn tantùm à Judæis olim, ò mitissime Domine, passus es opprobrium & contemptum; sed etiamnùm ab Ethnicis, ab hæreticis, ab impiis Christianis, quid non injuriæ pateris? Illi à fide alieni Venerabiles Aras tuas irrident; insuper isti perfidè destruunt: horum non pauci sacrilegè accedunt. Pro omnibus istis contumeliis, & indignissimis criminibus, ego tuorum omnium infimus, usque ad abyssum nihili prostratus, flecto genu cordis mei, & cum omnibus Creaturis, quæ in mundis infinitis creari possent, te honoro, te laudo, te magnifico, te extollo, te adoro, te amo. Te præsentem, (audi orbis universe) te æque præsentem in Templis, in Aris, in sacerdotum manibus esse credo, atque præsens & ad dexteram tui Patris in cœ-

lis. In hac orthodoxa fide vivo, eamque Vitâ, & sangvine sigillare paratus, etiam hoc momento, opitulante tuâ gratiâ. In hac fide vivâ me moriturum esse confido: teque propitio ad dexteram tuam auditurum: Fides tua te salvum fecit. Amen.

13. DECOLLATIO BAPTISTÆ.

DEcollavit eum in carcere, & attulit caput ejus in disco, & dedit illud puellæ. Marc. 6.

Typus. Josias.

UNiversus Juda & Jerusalem, luxerunt eum. 2. Paral. 35.

Prototypon.

INiquâ cæde plectitur innocens Præcursor Servatoris meritò deflendus omnibus bonis.

Affectus.

STupenda res, horrenda res, ex mero odio caput humanum in disco, spectandum Principibus, tempore convivii inferri. Amanda res, miranda res, ex pura charitate, non humanum, sed divinum, non caput tantùm, sed & humeros ac brachia; Cor, & pectus, manus, ac pedes, totumque corpus, non Præcursoris Christi, sed Christi, non modò spectandum, sed epulandum; non tantùm Principibus, sed omni hominum generi, non unâ vice, sed innumeris apponi. O charum caput, & facies in quam desiderant Angeli prospicere! Beata brachia & humeri, qui Crucem pro me ferre dignati! Benedictum pectus in quo dilectus tuus discipulus recubuit! O cor amabile, omni peccatori pervium! O Venerabiles manus, in quas acceptus est panis, & benedictus, & fractus, datusque Discipulis! O benigni pedes peccatricis lachrymis irrigati! O Sacrum corpus, cujus solius amore semper langvere desidero; illud semper suspirare, semper esurire, ejusque dulcedine semper pasci. Amen.

14. LAPIDATIO.

SUstulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. Joan. 10.

Typus

Typus. David.

SEmei maledicebat, mittebatq́; lapides contra David. 2. Reg. 16.

Prototypon.

JUdæi indignabundi Christum lapidibus impetere properant.

Affectus.

HI lapides loqvuntur, & clamant, id quod Petrus fundamentalis petra: Tu es Christus Filius DEI vivi. Vident enim te per dotem corporis gloriosi, per dotem impassibilitatis, inter lapidantes attonitos incolumem, illæsum, transire. Ita te pariter Filium DEI, lapis tuus sepulchralis, propter dotem penetrabilitatis, in sua Resurrectione cognovit. Pater æterne tibi, cum omni tua curia cœlesti, gratias ago, quia hoc novo prodigio, clarificas Filium tuum, adversariis ejus omninò confusis. Sancti autem tui omnes benedicant te Christe, tum quia nostri amore, subducis minori, ut te reserves ad graviora supplicia; tum quia nos doces, nullum ulli nocere posse, sine providentia tua. O mi Domine, qui in Altari nostro præsentissimus es, & dixisti, te nobiscum forè usque ad

consum-

consummationem sæculi; adsis mihi saltim gratiâ tuâ, in omnibus viis & periculis meis, & dicam confidenter: Non timebo mala, quoniam tu mecum es; nec offendam ad lapidem pedem meum. Amen.

15. PRÆCIPITATIO DE MONTE.

Ejecerunt eum extra civitatem, & duxerunt illum usq; ad supercilium montis, ut præcipitarent eum. Lucæ 4.

Typus. Jeremias.

Apprehenderunt eum Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus, dicens: Morte moriatur. Jerem. 26

Prototypon.

Judæi quasi impetu facto irruerunt in Christum, ut eum è medio tollerent.

Affe-

Affectus.

HEi mihi? Quot olim de altitudine montium cecidêre; quot præcipitantur in dies! Quomodo cecidiſti cum tuis è cœlo Lucifer, qui dicebas in corde tuo, Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis! Ita aſcendit in altum ſuperbus homo, audiens illud: Eritis ſicut Dii, & lapſus ex alto, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimils factus eſt illis. Ah! non veniat mihi pes ille ſuperbiæ; non exaltetur cor meum; neque ambulem in magnis, neque in mirabilibus ſuper me! Hoc oro te humillimè JEſu, per inuſtam tibi injuriam, dum vi factâ irruentes in te, urbeque tuâ te pellentes, ad cacumen montis traxerunt, ut inde te præcipitem darent. Idipſum obteſtor per omne opprobrium, quod in monte Calvariæ pro me paſſus es; perque innumeras contumelias, & probra, quæ vides & toleras in montibus Syon, id eſt, Templis tuis. Ex his enim violentè exturbaris; in iſtis conculcaris: in aliis ludibrio afficeris ab impiis, utinam à piis, & nominatim à me omni pietatis genere colaris. Amen.

16 VALEDICTIO MATRIS.

DE poſtremo colloquio, quod ſeor-

ſeorſim cum Filio Mater inſtituit, Vide S. Bonavent. cap. 72. Medit, vitæ Chriſti.

Typus. Sara.

SUum unigenitum Iſaac, in montem Moria ad ſacrificium tendentem, dolens à ſe dimittit. Nam conſcia fuit necis futuræ, juxta S. Auguſt. de Temp. ſerm. 73. Tom. 10. Gen. 22.

Prototypon.

CHriſtus amantisſimæ Matri valedicit, priusquàm ſe accingat, ut mortem oppetat in monte Calvariæ.

Affectus.

QUò vadit dilectus tuus ò Noëmi, ò pulcherrima mulierum, quò vadit? Ad cœnam cui intererit proditor: ad hortum ubi ſudabit ſangvi-

ſangvinem; ad Annam ubi alapis cruentabitur; ad Caipham ubi opprobriis ſaturabitur; ad Herodem ubi illudetur ut demens; ad Prætorium ubi cædetur ut reus; ad montem, ubi ſuſpendetur ut latro. Hæc ſingula confers in corde tuo, & profundè gemens, dicis: Ne vocetis me Noëmi, id eſt pulchram: ſed vocate me Mara, id eſt, amaram; quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens. O MARIA, ò MARIA, ò mœſtisſima mulierum, ò affli-ctisſima Virginum! Eja Mater fons amoris, Me ſentire vim doloris Fac, ut tecum lugeam. Fac, ut ardeat cor meum, in amando Chriſtum DEum, ut ſibi complaceam. Ut, & tibi complaceam, & utriusq; dolore & amore langveat, ardeat, liquefiat anima mea, præſertim dum accedo Sacroſanctum Altare, in quo recolitur memoria Pasſionis iſtius. Amen.

17. ULTIMA COENA.

EDentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus veſtrûm me traditurus eſt. Matth. 26.

Typus. Agnus Paſchalis.

Tollat unusquisq; agnum per familias, & domos ſuas. Exod. 12.

Prototypon.

CHristus verus Agnus se apposuit ad edendum in ultima Cœna, etiam suo proditori.

Affectus.

INvitaris ad cœnam, cœnam magnam, ò anima Christiana: noli te excusare, noli. Verè cœna magna, quia à magno DEO, magnâ charitate proposita. Magna, quia magno prodigio, elaborata, in qua memoriam fecit suorum mirabilium misericors Dominus. Magna, quia magnis ferculis instructa corpore Christi, animâ Christi, divinitate Christi. Magna, quia pretii magni: ubi sunt omnes cœli, terræque thesauri. Magna, quia magnâ arte adornata, ubi tota cœna, parvo concluditur frusto, & suum hospitem simul includit. Magna, quia magnæ, imò universæ hominum multitudini præparata. Magna, quia magnis mysteriis ab omni retrò ætate præsignata: Magna, quia magnorum largitrix munerum: qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Quid superest? Ut magna præparatione, ac curâ, magnâ contritione, & demissione; magnâ fame, & siti; magnâ fide, ac fiduciâ, magnâ religione, ac reverentiâ, magno zelo, ac charitate, hanc mensam velis accedere. Amen.

18. HORTUS GETHSEMANI.

P*Ater si vis, transfer calicem istum à me, verùm tamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum.* Lucæ 22.

Typus. Elias.

P*Etivit animæ suæ ut moreretur, projecitq́ se, & obdormivit in umbra juniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum.* 3 Reg. 19.

Prototypon.

CHristus humi prostratus, & ad mortem usq; afflictus ab Angelo confortatur.

Affectus.

DOmine mi JESU doce me orare: orare suppliciter, qui animi summâ veneratione, & corporis infimâ inclinatione, non modò

in genua, sed in faciem orans, procidisti. Orare ferventer, qui easdem preces ardenti contentione repetîsti, junctis gemitibus inenarrabilibus. Orare amanter, qui clamâsti, Abba Pater, id est, Pater, ò mi Pater, ut dilectissimus Filius, amantissimo Patri supplicabundus. Orare constanter, qui orâsti usque ad uberes lachrymas, usque ad virium defectionem, usque ad sudorem sangvineum; usque ad supremam agoniam. Orare, cum omni resignatione, non obstantibus infinitis difficultatibus, verùm tamen, non mea (inquiebas) voluntas, sed tua fiat. Volo quidem Domine, sed non valeo sic orare: ut valeam, oro iterum, & millies oro, Domine, doce me orare, idque obtestor per preces tuas, tantâ demissione, tanto fervore, tanto amore, tantâ constantiâ, tantâ resignatione, pro me effusas, perque placabile illud Altaris Sacrificium, in quo semper vivis ad interpellandum pro nobis. Amen.

19. OSCULUM JUDÆ.

Confestim accedens ad JESUM dixit: Ave Rabbi, & osculatus est eum. Matth. 26.

Typus. Amasa.

Dixit itaq; Joab ad Amasam: Salve mi

ve mi frater. Et tenuit manu dexterâ mentum Amasæ, quasi osculans eum. 2. Reg. 20.

Prototypon.

CHristum Judas amicè salutando, & osculando inimicis tradidit.

Affectus.

JUda quid agis? Amoris signo vulnus infligis? mellis oblatione venenum propinas? charitatis officio sangvinem fundis? instrumento pacis mortem irrogas? Juda quid agis? quò decidisti? de Apostolatu ad apostasiam; de consortio Angelorum ad contubernium dæmonum; de primis amicorum, ad ultimos hostium; de sublimi gratiæ solio, ad profundam damnationis abyssum; de participatione augustissimi corporis, ad venditionem ejus divinissimi sangvinis? Ah! quantùm sæpè nequitiæ sub fronte blanda; quantùm mali sub larva boni tegitur! Id facis peccatrix anima, dum aliquem blanditiis ad peccandum allicis, dum tuis fraudibus decipis; dum per causam pieta-

tis impietatem velas; dum sacram mensam sacrilegè accedis, non dijudicans Corpus Domini. Exeste proditores, procul à me exeste. Moveat vos divinæ dulcedo charitatis, & viscera misericordiæ Christi: qui pro malevolentia favorem; pro odio amorem; pro morte vitam; pro isto osculo præbet amplexum. Hunc amplexum enixissimè desidero, præsertim in hora mortis. Amen.

20. TORRENS CEDRON.

E*Gressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron.* Joan. 18. In eundem præcipitatus est. Adrichom.

Typus. David.

O*Mnes flebant voce magnâ, & universus populus transibat: Rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron.* 2. Reg. 15.

Prototypon.

DOminus per torrentem Cedron

dron raptatus eſt, quem cum Diſcipulis ante tranſierat.

Affectus.

OMnes de aquis tribulationum; omnes cum Chriſto de torrente in via bibimus; & trahimur de malo in malum, tolerandum eſt. Humores nos inflant, ardores exſiccant, eſcæ gravant; jejunia macerant, gaudia diſſolvunt, triſtitiæ conſumunt: tolerandum eſt. Solicitudo nos coarctat, incuria diſſipat, divitiæ extollunt, paupertas dejicit, infirmitas frangit, mors interimit, tolerandum eſt. O quando corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem? O quando replebimur ab ubertate domus DEI, & torrente voluptatis potabimur? O quando dicetur, jam hyems tranſiit, imber abiit; Veni de Libano, veni coronaberis, intra in gaudium Domini tui? Interea, dum tædia vitæ toleranda ſunt, in loco hoc peregrinationis meæ, & exilii, paſcar Euchariſtico manna, pane Angelorum, delitiis cœli: donec aſpiret dies æternitatis, & inclinentur umbræ hujus vitæ, donec videam facie ad faciem illum, qui modò abſconditus hic me reſpicit per cancellos. Amen.

21. ANNAS.

UNus asistens Ministrorum dedit alapam JESU. Joan. 18.

Typus. Michæas.

ACcessit Sedecias filius Chanaana, & percussit Michaam in maxillam: méne ergo dimisit Spiritus, & locutus est tibi? 3. Reg. 22.

Prototypon.

VEridicus Servator impudenter in facie cæsus est.

Affectus.

QUisnam ille est, qui à mancipio alapâ crudeli cæditur? Nunquid non est omnium innocentissimus? Ergò non plectendus. Nunquid non omnium Dominus? Ergò honorandus. Nunquid non omnium Pater? Ergò amandus. Nunquid non electarum Sponsus animarum? Ergò favore dignus. Nunquid non omnium Judex? Ergò timendus. Nunquid

quid non omnium Deus? Ergò adorandus. Quî fit igitur ut innocenti, & Domino, & Patri, & Sponſo, & Judici, & Deo verber tam ignominioſum impingatur? O cæcitas, ò fatuitas, ò crudelitas nimia! O mi Chriſte, pro injuriæ iſtius reparatione, te non jam quidem pro tribunali, ſed in Altari ſtantem, omnis innocentiæ fontem eſſe confiteor, te Dominum veneror, te Patrem diligo: te animæ meæ Sponſum amplector; te omnium Judicem timeo: te Deum vivum ac verum cum omnibus Angelis adoro: impenſè flagitans, hanc unam modò à te gratiam conſequi, ut omnium injuriam à quocunque mihi impactam, libentisſimè amore tui condonem, quod & nunc ex animo facio. Amen.

22. CAIPHAS.

Velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza quis te percusſit. Luc. 22.

Typus. Samſon.

Quem cùm apprehendisſent Philiſthijm, ſtatim eruerunt oculos

ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt. Judic. 16.

Prototypon.

CHristo Judæi oculos velârunt, multâque percussione, & contumeliis per noctem onerârunt.

Affectus.

ECce quomodo afflictio superaddatur afflicto, dum decora facies sordidis sputis inquinatur; divinæ aures, gravibus contumeliis lacessuntur; sereni oculi fœdo linteo obteguntur; sacrum corpus duris colaphis oneratur. Sed cui bono hæc ludibria? O peccator, pro superfluo oris, vultûsq; tui cultu ille conspuitur: pro nimia tua aviditate captandæ laudis humanæ subsannatur: pro petulanti oculorum tuorũ libertate velatur: pro contumaci capitis tui duritie, ille durè excipitur. Sed jam ad eundẽ, quem sub Sacramento velatum, fide viva intueris, accede; omniaque peccata cordato dolore detestans, dic illi: Ostende mihi Domine faciem tuam, & salvus ero: inclina aurem tuam ad preces meas, ad preces etiam Latronis inclinatas: converte oculos tuos ad me, etiam Petro

te neganti, non negatos: benignus annue capite tuo, etiam ad tui proditoris oscula incurvato; & cantabo misericordias tuas in æternum, & ultrà. Amen.

23. PILATUS.

CÆperunt autem eum accusare, dicentes: hunc invenimus subvertentem gentem nostram. Luc. 23.

Typus. Daniel.

TUnc respondentes, dixerunt coram Rege: Daniel de filiis captivitatis Juda, non curavit de lege tua, & de edicto quod constituisti. Daniel. 6.

Prototypon.

CHristus apud Præsidem Pilatum falsâ accusatione traducitur.

Affectus.

ROmano Præsidi respondes ô Christe; Regnum meum non est de hoc mundo. Loquere

quere ò Rex meus, & DEus meus, qui ſub Sacramento lates, ecquinam ſint candidati regni tui, & qui ſunt hujus mundi ? Mei, qui ambiunt latere, neſciri, omnibus eſſe ſubjecti: illius ſunt, qui per fas, & nefas graſſantur ad honores, & officia, cunctisque ardent præeſſe. Mei ſunt, qui credunt illud: Beati pauperes ſpiritu: illius ſunt, qui illud: ò beati divites! Mei, qui bona propria elargiuntur: illius, qui rapiunt etiam aliena. Mei, qui in corde & ore habent: Quærite primùm RegnumDei: illius qui clamant; quærenda pecunia primùm eſt, virtus poſt nummos. Quid inſuper? Mei, qui caſtimoniam juxta ſtatum ſuum rigidè ſervant; illius, qui vagâ libidine diffluunt. Mei, qui inimicos ex animo diligunt; illius, qui etiam amicos odio habent. Mei, qui ſobriè, piè, juſtè vivunt; illius, qui intemperanter, impiè, iniquè. O Domine adveniat mihi hoc regnum tuum! hoc ingeminabo quotidie. Amen.

24. HERODES.

Sprevit illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit, indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum. Luc. 23.

Typus.

Typus. David.

AIt Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum? quare adduxistis eum ad me? 1. Reg. 21.

Prototypon.

CHristus ipsamet Patris æterni Sapientia, ab Herode dementis instar, albâ veste amicitur, & ad Pilatum remittitur.

Affectus.

QUàm diu procabitur amorem meum amor Divinus, qui etiamnùm in Ara me quærit, quot ludos aget, quot mutabitur in personas? Egressus ut sponsus; cucurrit ut gigas: jacuit ut infans; fugit ut exul: ambulavit ut peregrinus: obedivit ut subditus: ministravit ut servus. Quid? quòd jejunavit ut pœnitens, luctatus ut miles, coronatus ut victor? Quid? quòd Medici partes inter ægros; Magistri inter discipulos: Patris inter filios explevit? Quid? quòd Samaritani, Pastoris, Vinitoris, Mercatoris, Regis, & plurium habitum induit?

duit? Et quas non actiones in mei gratiam egit in domibus, ac plateis: in templis, ac synagogis; in oppidis & urbibus; montibus & vallibus, terrâ ac mari? Nondum cessisti amori ò cor durum? se dedit in pabulum; se obtulit in lytrum, se promisit in præmium. Sudavit ut agonizans: comprehensus ut latro: cæsus ut mancipium: velatus ut Pseudopropheta: accusatus ut seductor, habitus ut blasphemus: spretus hic & illusus ut stultus. Vicisti ò Amor Divine, Vicisti, ecce cor meum & omnem amorem, nunc, & in æternum. Amen.

25. FLAGELLATIO.

Tunc ergò apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit. Joan. 19.

Typus. Jeremias.

IRati Principes contra Jeremiam, cæsum eum miserunt in carcerem. Hier. 37.

Prototypon.

JUssu Pilati Servator tuus ad columnam

lumnam vinctus, atrocissimè flagellatur.

Affectus.

QUid hoc rei est? Peccat iniquus, & punitur justus. Delinquit nocens, & plectitur innocens? Offendit impius, & damnatur pius. Quod perpetrat servus, exolvit Dominus: quod committit homo, sustinet DEUS? Nate Deo, quò tua decrescit Majestas, & increscit benignitas? Quò tua descendit humilitas, & ascendit charitas? Ego, ego, iniquè egi, & tu pœnâ mulctaris? Ego facinus admisi, & tu subjiceris lanienæ? Mihi ista vincula, illa columna, illa tortorum sævitia, illa flagra, illa vulnerum multitudo debetur. O Pater æterne, qui ut mihi vermiculo terræ parceres, non pepercisti Unigenito tuo, te vehementer obtestor per nimiam tuam & ipsius charitatem, ut tandem sistam fluxum sangvinis istius, & in his, & istis tuâ gratiâ desistam peccare. Ergòne ut Virgineum illud corpus, ut divinos illos artus lacerare, talia cogitando, loquendo, agendo pergam? Absit. Ad piacularem hanc aram confugio, priùs hìc moriturus, quàm ampliùs peccaturus. Amen.

26. CORONATIO.

IMponunt ei plectentes spineam coronam, & cœperunt salutare eum, Ave Rex Judæorum. Marci 15.

Typus. Aries Abrahami.

LEvavit Abraham oculos suos, viditq; post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens, obtulit holocaustum pro filio. Gen. 22.

Prototypon.

INgenti tormento spineum sertum tenerrimo Christi capiti infigitur.

Affectus.

O Mi JESU, qui hîc idem es in templo, qui olim in Prætorio, si me totum debeo pro me facto, quid dabo pro refecto, hoc modo? Nec enim tam facilè refectus quàm factus.

Nam

Nam qui me ſemel, & dicendo tantùm feciſti, in reficiendo dixiſti multa, feciſti mira; pertuliſti dura: nec tantùm dura, ſed & indigna. Heu quàm indigna vel in hoc myſterio Coronationis! Viliſſimi enim homines plexo ex ſpinis acutisſimis ſerto te coronant: coccineum tibi ſcrutū inſtar purpuræ in humeros conjiciunt: arundineum ſceptrum dextræ imponunt; curvato poplite Regem Judæorum ridiculè ſalutant: in te lingvas exerunt, dentibus frendent, labiis loquuntur; te digitis notant, te conſpuunt, te palmis cædunt. Iterum rogo, ò mi JESU, quid dabo pro me refecto, & refecto hoc modo? Firmiter ſtatuo, uti debeo, omnem mei deſpicientiam, omnem injuriam, omnem ignominiam ferre tui amore toleranter, imò gratanter: quin etiam opto ex illis eſſe, qui gaudent pro nomine tuo contumeliam pati. Amen.

27. ECCE HOMO.

D*Icit eis: Ecce Homo: Clamabant dicentes: Crucifige, Crucifige eum.* Joann. 19.

Typus. Job.

P*Ercusſit Job ulcere pesſimo, à planta pedis, usq; ad verticem ejus.* Job. 2.

Pro-

Prototypon.

CHriſtus toto corpore ſaucius, exponitur innumeræ hominum multitudini.

Affectus.

HEi miſero mihi ! quot telis ſaucia, quot vulneribus lacera, quot mortibus mortua eſt infelix anima mea ! Væ mihi peccatori, cùm venerit dies judicii, dies iræ, calamitatis & miſeriæ : cùm aperientur libri conſcientiarum, cùm dicetur de me : Ecce homo, & opera ejus. Quid faciam tunc Domine DEus meus, cùm cœli revelabunt iniquitatem meam, & adverſum me terra conſurget, & clamabit: Crucifige, Crucifige eum ! Ecce nihil reſpondere potero, ſed demiſſo capite præ confuſione coram te ſtabo trepidus ; & confuſus. Itane verò ! at enim necdum venit dies illa, dies iræ, dies magna, & amara valdè. Cognovi ego, & quidem in hac die mea, quæ ad pacem mihi. Vivens, vivens confitebor tibi Domine, ſicut & ego hodie. Confitebor adversùm me injuſtitiam meam Domino & tu remittes iniquitatem peccati mei. Peccavi, peccavi Domino ! & licet non audiam, quod ſemel audivit David : Dominus tranſtulit peccatum

tuum: audio millies: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; Ecce Homo. Amen.

28. BAJULATIO CRUCIS.

B*ajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.* Joann. 19.

Typus. Isaac.

TUlit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum. *Gen.* 22.

Prototypon.

CRux gravis, humeris Servatoris graviter affectis, injicitur.

Affectus.

DEUS meus, qui ut ubique Divinitate, sic in hac sacra æde, mihi præsentissimus es tuâ humanitate; quî fit, ut quoties crux aliqua,

qua, ſive hæc N. ſive iſta ſubmittitur, animo exhorream, voluntate averſer, verbis oblucter, manus, humerosque ſubducam? Hic eſt ſenſus infirmitatis meæ. Verùm exurge anime, confortare, & in omni adverſitate audi vocem Chriſti tui ſibi oblatam crucem alloquentis, Veni! ò veni in amplexus meos Crux ab æterno electa, æternis deſideriis fota, infinitis amoribus concupita, omnibus votis expectata! Veni, ò tandem, veni Sponſa mea, formoſa mea, dilecta mea, ab origine mundi præparata, à Prophetis prædicta, à Patribus expetita, tot Typis præſignata, tot ſæculorum, tot Angelorum, tot hominum affectibus exoptata! Veni in manus, in lacertos, in humeros meos, quam die, noctuque memoriâ, intellectu, voluntate, toto corde complexus fui: te feram, à te ferar: in te vixi, in te moriar, pro ſalute tua, ò homo, quisquis es. Amen.

29. PRIMUS LAPSUS SUB CRUCE.

IN loco ad occaſum vergente, Chriſtus in terram ſubſidit. *Adrichom. in deſcript. Jeruſal. n.* 118.

Typus.

Typus. Scala Jacob.

TUlit de lapidibus qui jacebant, & supposuit capiti, dormivit in eodem loco, viditq; in somnis scalam stantem super terram. Gen 28.

Prototypon.

CRux est scala cœli, sub qua non dormiens, sed vigil, sed defectis viribus jacet Servator.

Affectus.

ECce vir dolorum, novissimus virorum Filius hominis, Filius Dei, vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis, ah humiliatus est nimis! Quid superbis ò homo, non homo, sed pulvis, & cinis, quid superbis? quid deliciaris & gaudes? Dic putredini, pater meus es, & mater mea, & soror mea vermibus. Risum reputa errorem, & gaudio dic, quid frustra deciperis? Ecce DEus tuus circumvallatur ærumnis, & hominum pedibus conculcatur. Et tu contra ò homo, animi nimis pusilli, nimiumque dejecti, dum foris pu-

gnæ,

gnæ, dum intùs timores, quid percelleris? qui turbaris? quid humi jaces? Ad te in terra adrepi dilectus tuus, & suavissimè insusurrat auribus tuis. Noli timere fili mi, ego de tuo fui trepidus, tu de meo esto securus; ego cecidi, ut tu stares: ego pondere peccatorum tuorum pressus fui, ut omni onere levareris: ego sustuli peccata tua, noli timere. Hæc te, ò bone JESU in sacra Ara jacentem, mihi dicere audio, & obedio. Amen.

30. VIRGINIS MATRIS OCCURSUS.

MOEstissimo Filio, moestissima Mater occurrit. *S. Bonavent. lib. Meditat. Vitæ Christi cap. 77.*

Typus. Virgines ad Oniam concursantes.

ACcinctæ mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant: sed & Virgines quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam. 2. Machab. 3.

Pro-

Prototypon.

Virginum Virgo domo suâ in viam publicam egressa, Filio suo miserandum in modum afflicto, & affecto, obviam procedit.

Affectus.

O Tristissima Matrum, te adjurat anima mea: & qualis est inquit, Unigenitus tuus qui occurrit tibi? Et dicis illi: Unigenitus meus candidus, & rubicundus, sed non illo colore ad miraculum amabili, sed flebili supra omnem modum. In Horto enim Gethsemani candidus sudore, rubicundus cruore. Apud Caipham albo linteo oculis velatis: apud Annam genis alapâ cruentatis. In Aula Herodis indutus veste candenti; in Prætorio Pilati purpureâ. In ingressu ejusdem Prætorii toto corpore candidus: in egressu omnibus membris sangvinolentus. Et jam obviam mihi factus solâ innocentiâ est candidus; alioquin toto corpore purpuratus. Talis est Unigenitus meus, ò Filia Jerusalem, & ipse est dilectus tuus. O dilecte mi, qui etiam in Sacrificiis nostris inter albentia lilia, ac rubentes rosas; inter candidas hostias, ac vina rubra; inter alba, purpureaque

Para-

Paramenta conſpiceris; da mihi de peccatis meis ſemper erubeſcere, & in ſangvine Agni ſuper nivem dealbari. Amen.

31. SIMON CYRENÆUS.

INvenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariaverunt ut tolleret Crucem ejus, Matth. 27.

Typus. Ethai.

IN quocunq́; loco fueris Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus. 2. Reg. 15.

Prototypon.

NE Chriſtus omninò deficiat, auxiliatricem manum adhibet Cyrenæus.

Affectus.

DOmine mi Rex, in cruce ferenda te ſequi, tibi ſervire deſidero. Siquidem te ſequi dominari eſt, tibi ſervire regnare. Utinam ergo

go verè dicam: Servus ego solùm tuus, tu Dominus meus. Non enim omnes ausi sint dicere, solùm servus tuus sum ego: nam plures Dominos habent. Venit Ambitio, & dicit, Meus es; quia toti honoribus inhiant. Venit Luxuria, & dicit, Meus es: quia in omnem voluptatem projecti. Venit Avaritia, & dicit, Meus es; quia injusta lucra sectantur. Venit Ira & dicit, Meus es; quia nonnisi vindictam spirant. Venit Gula, & dicit, Meus es; quia epulantur quotidiè splendidè. Veniunt omnia vitia, & singula dicunt, Meus es; Qui tot Dominos habent, quàm multorum servi sunt; quot onera, quot juga, quot Cruces tolerant, & heu quàm amaras, quàm graves! O si ego tali emancipatus vitiorum servitute, accurram ad Aram tuam, mi Domine JESU, jugumque svave, & onus leve, id est, Crucem tuam amplectar! Tu solus Dominus meus, & ego servus solùm tuus. Amen.

32. VERONICA.

HÆc Matrona sangvinolentam Servatoris faciem sindone sua, expressit, ut passim notum. *Adrich. in Descript. Jerusal.*

Typus. Tunica Joſeph cruenta.

T*Unica Filii mei eſt; fera peſſima comedit eum; beſtia devoravit Joſeph.* Gen. 37.

Prototypon.

VEronica Chriſto occurrit, cujus oblato linteo, cruentum ille vultum ſuum applicuit.

Affectus.

QUis olim clamavit, Oſtende nobis faciem tuam, & ſalvi erimus? Non tantùm Domini facies mihi oſtenſa, ſed data; nunquid non in ſalutis certum pignus, atque eximium monumentum? Ita loquitur pia Beronice, & pergit loqui. O mi Creator, ò mi Redemptor, quantùm tibi debeo! Opus utriusque mirabile, & amabile, ſed hujus magis. In primo enim opere me mihi dediſti, in ſecundo te, & ubi te dediſti, me mihi reddidiſti. Data ergo & reddita, me pro me debeo, & bis debeo, quidnam jam tibi retribuam pro te? Etſi me millies re-

pendere

pendere possim, quid sum ego ad te? Minùs quàm guttula ad Oceanum, arenula ad universum, momentum ad æternitatem. Perennem ego beneficii istius memoriam servabo in sindone ista. O anima mea, quantùm tu tuo Redemptori debes, qui sui memoriam non in mortuo lineo, sed vivâ Hostiâ reliquit, ubi non exanimis facies, sed corpus ejus integrum continetur? O Domine, quia solvendo non sum, te tibi reddo, & me millies tibi! Amen.

33. SECUNDUS LAPSUS AD PORTAM.

AD portam Judiciariam iterum cadit. *Adrichomius.*

Typus. Dux Amasa.

A*Masa conspersus sanguine jacebat in media via.* 2. Reg. 20. Inflictum fuerat vulnus proditoriâ manu Joabi.

Prototypon.

DEnuò subsidit humi Servator, onerosâ sub Cruce, totus sanguinolentus.

Affectus.

PAtientissime Salvator hîc iterum labens, & humum cruentans, exhibes an imaginem, an medicinam peccatoris recidentis, seque pristino peccatorum tabo, ac sangvine inquinantis? Amantissimè illi dicis: Transiens per te, vidi te conculcari in sangvine tuo, & dixi tibi, cùm esses in sangvine tuo; Vive. Expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam, & juravi tibi: Vivit Dominus! quia nolo mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat. Surgam ergo, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in Cœlum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de Mercenariis tuis! Et ecce inclinati sunt cœli, & mellifluì facti sunt. Misericordiâ motus Deus meus, descendit ad Altare istud; venitq; in occursum meum, & osculatur me osculo oris sui. Ad cor deinde loquitur, ac dicit mihi: Remissa sunt tibi peccata tua, jam ampliùs noli peccare. Da mihi Domine hanc gratiam, sed gratiam efficacem. Amen.

34. FILIÆ JERUSALEM FLENTES.

Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super Filios vestros. Luc. 23.

Ty-

Typus. Super Josiam mulierum planctus.

OMnes Cantatores, & Cantatrices usq; in præsentem diem, lamentationes super Josiam replicant. 2. Par. 35.

Prototypon.

ISraelitides filiæ immensâ commiseratione tactæ, luctuosam Christi sortem deplorant.

Affectus.

VIs Domine me flere, jubes me flere peccata mea, & meorum? Ad Sacrum Altare, velut ad asylum reus accurro, & ante illud toto corde prostratus, exclamo: Heu! heu! peccavi, Tibi soli peccavi Deus meus, qui potentiam tuam infirmitate, sapientiam ignorantiâ, bonitatem malitiâ offendi. Tibi soli, qui ex indole tua omnem iniquitatem odio habes. Qui solus etiam nosti pro gravitate sua æstimare peccatum. Tibi soli, quia leges tuas transgrediendo, tibi Legislatori præcipuè injurius fui:

quia & omnis proximorum læsio, te eorum ferit Auctorem. Tibi soli, qui peculiaribus favoribus præventus, gratiisque cumulatus, pro tot bonis, tot mala retribui. Tibi soli, quia animo, corpore, rebus externis, iniquè egi. Quia insuper tu DEus meus, & Accusator es, & Testis es, & Judex es. Accusator, quem toties & tam graviter læsi: Testis in cujus oculis singula patravi: Judex omnium, etiam minimorum. Precor ignosce, qui solus potes peccatis ignoscere, peccatis mederi. Ignosce, ò DEus, DEus salutis meæ. Amen.

35. ULTIMUS LAPSUS.

AD montem Calvariæ sub cruce prosternitur. *Adrichom.*

Typus. Onias.

SAcerdotes ante altare cum stolis Sacerdotalibus jactaverunt se. Jam verò qui videbat summi Sacerdotis vultum, mente vulnerabatur. 2. Machab. 3.

Prototypon.

AD Calvariæ montis ascensum postremò cadit.

Affectus.

Affectus.

EN cadit per quem cuncti ſtant; infirmatur, per quem omnes roborantur; in terra DEus jacet, per quem homines eriguntur in cœlum. O dulcedo mea, quot amaritudinibus; ò gaudium meum, quot lachrymis; ò ſanitas mea, quot vulneribus: ò vita mea, quot mortibus obrueris? Prodigia ſunt iſta! Non minora ſuccedunt; incipiunt cœli inhorreſcere, terra contremiſcere, Templi velum dividi, ſepulchra concuti, lapides conteri, elementa omnia commoveri. Quid tu peccator? Tu prodigiorũ omnium longè es maximum, qui in rerum omnium motu, manes immotus: in communi elementorum ſenſu, inſenſatus; in ſaxorum fractione non ſcinderis; in rerum animâ carentium vitâ, es mortuo ſimilis. Si quid tamen in te vitæ melioris ſupereſt, in terram prorue, Patrem cœleſtem obteſtare, ut illum ſangvinem humi fuſum, eundemque qui in quotidiano ſacrificio ipſi offertur, audiat pro te benignè loquentem, ut totus movearis, & convertaris. Amen.

36. EXTRACTIO VESTIS, ET FELLIS OBLATIO.

HIc tunica illius extracta. *Adrichom. Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum.* Matth. 27.

Typus, Jeremias.

F*Actus ſum in deriſum omni populo. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſynthio.* Thren. 3.

Prototypon.

EI veſtis evellitur, & loco ſolatii felle potatur.

Affectus.

AFflictæ animæ, loquitur dilectus meus, & dicit: Vide, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus: ad funeſtum Calvariæ montem, pro te adrepens, gravi onuſtus trabe, coronâ ſpineâ confixus: poſt mille gemitus, poſt ſangvineum ſudorem, poſt amaras lachrymas, poſt plures lapſus, poſt cruentos greſſus, pallorem mortis præ me ferens, extremum ſpiritum traho. Vide, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus; poſt vitam innocenter transactam; poſt plurima patrata prodigia: poſt innumera in homines merita: nullo jure, ac lege ſervatâ; in ipſo ætatis flore damnatus ſum; poſtque exhauſtas crebris verberibus vires: poſt hiantia à capite ad imos pedes vulnera in conſpectu infinitæ multitudinis, mihi veſtes crudeliter

deliter extrahuntur : vulnera fœdè innovantur : atque inter sceleratos morituro, pro omni solatio fel offertur. Vide, si est dolor. sicut dolor meus: mihi hoc identidem ingeminat dilectus meus, præsertim dum inops solatii sacram mensam accedo : nec aliud solatium peto. Amen.

37. HUMI CRUCIFIGITUR.

Postquàm venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum. Luc. 23.

Typus. Samson.

SI septem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum his circumligatum, terræ fixeris, infirmus ero. Jud. 16.

Prototypon.

INdignissimè Christus humi projicitur, & immani tormento super cruce extenditur, & clavis affigitur,

Affectus.

INdica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie? Hoc sæpenumero rogas, dum ante meridiem, domum illius invisis, ipsoque pasceris. Indico ego tibi, nomine ejus, quis sit accubitus illius, & simul indico quis sit tuus. Lectus ejus humi stratus est, in ignominiæ loco; tu lectum honoris, & locum sublimem, ambitiosè quæris. Accubitus ejus inter infames latrones: tuus inter honorifica, & statu tuo majora consortia. Jacet is, inter opprobria, atque ludibria; tu stas inter gratulationes & plausus. Rursum indico tibi, ubi cubet ille in meridie. Illius in paupertate, imò in nuditate commoratio? tua in luxu, & abundantia vestium. Illius thalamus, quàm duris in spinis est: tuus quàm mollis in plumis est! illius manibus ac pedibus parantur crudeles clavi: tu manibus, pedibus quid agis? illius exhaustum vulneribus corpus, nullâ quiete datâ projicitur in truncum crucis; tu post exiguos labores omne solatium petis. Dicam, non tantùm volo nosse accubitum dilecti, sed & imitari. Amen.

38. SUSPENDIUM IN CRUCE.

S*Tabat juxta crucem JESU Mater ejus.* Joann. 19.

Typus.

Typus. Serpens Moſaicus.

F*Ecit Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Num. 21.

Prototypon.

VUlneratus pendet in ligno benedictus Filius Dei, velut maledictus, ut omnium vulneribus medeatur.

Affectus.

VEni, accurre, Oriens, Occidens, Septemtrio, Meridies. Ecce panditur terra ſancta, beati pedes, venerandæ manus, benigna brachia, amabile pectus. Eja quiſquis es, humi te projice, & hunc adora, quia DEus eſt; hujus pedes oſculare, quia ſummus Pontifex eſt: hujus manus prehenſa, quia Dominantium Dominus eſt; in brachia hujus involа, quia Pater eſt: in hujus pectus incumbe, quia Sponſus eſt. Inſpice vulnera pendentis, viſcera miſerentis, pretium redimentis. Hæc quanta ſint

cogita, hæc in ſtatera tui cordis appende; ut totus tibi figatur in corde, qui pro te totus eſt affixus in Cruce. Illud ſpectaculum quondam Chriſtus uni Solymæ, & ſemel cruentus exhibuit; idem omnibus mortalibus, & locis innumeris, quotidie exhibet incruentus. Sedebo igitur ad hos pedes cum Magdalena: palpabo has manus cum Thoma: pendebo ſub his brachiis cum pio latrone: recumbam in hoc pectore cum Joanne. Amen.

39. EXCEPTIO IN SINUM MATERNUM.

E Cruce depoſitus, gremio matris excipitur, etiamnum locus oſtenditur. *Adrichom. in deſcript. Jeruſal.*

Typus. Sunamitis.

Poſuit illa filium ſuper genua ſua, usq; ad meridiem, & mortuus eſt. 4. Reg. 4.

Pro-

Prototypon.

Filium de Cruce depoſitum in ſinum ſuum mœſtisſima Mater excepit.

Affectus.

O Myrrhæ faſciculum venerabilem, myrrhæ primæ, myrrhæ probatiſſimæ! Ad expiationem peccatorum, quibus me abundare, & ad cumulum meritorum, quæ mihi deeſſe cognoſco, hunc ego faſciculum inter brachia mea excipiam, & inter ubera collocabo, collectum ex omnibus anxietatibus, amaritudinibus, convitiis, ſputis, colaphis, ſubſannationibus, exprobrationibus, flagellis, ſpinis, clavis, horumque pluribus, quæ Dominus meus mei amore toleravit. Hunc myrrhæ tam charum faſciculum, omnis crucifixi amator, de principatu tui pectoris, nec ad horam patiaris avelli. Amara illa omnia, quæ pro te ille perpeſſus eſt, alto animo retine, & aſſiduâ meditatione perpende. Utinam in meditatione iſta exardeſcat ignis doloris, ignis amoris; & verè dicas: O beatum incendium, amare Dei Filium, & Dei Filio condolere. Tum verò maximè exæſtua,

æſtua, & totus accendêre, cùm Divinus Amor, id eſt Dominus ille tuus, ex Ara ad te convolat, labiis inſidet, cor occupat, animam totam adurit. O ſi! Amen.

40. SEPULTURA.

Poſuit eum in monumento, quod erat exciſum de petra. Marci 15.

Typus. Jonas.

ERat Jonas in ventre piſcis, tribus diebus & tribus noctibus. Jonæ. 2.

Prototypon.

SEpulchro Chriſti corpus infertur, quod ibidem triduò manſit.

Affectus.

ASpicio hoc ſacrum depoſitum, priusquam ſepulchro condatur, idemque redivivum, ante-

antequam ex Altari ad me deferatur, & exclamo: Ecce quomodo amavit me! Dedit genas vellentibus; faciem conſpuentibus; capillos extrahentibus; corpus percutientibus; caput coronantibus; humeros crucem imponentibus; manus, pedesque perforantibus. Ecce quomodo amavit me! Quando unicâ guttâ ſudoris, unicâ lachrymulâ, greſſu, gemitu, ictu oculi, voluntatis actu me redimere potuiſſet: ah! quot guttas ſangvinis, quot lachrymas, greſſus, gemitus, horas, dies, annos impendit! Ecce quomodo amavit me! Omne paſſionis tempus vocavit horam; Oceanum ærumnarum vocavit calicem; paratiſſimus pro me, non tantùm ſemel, ſed millies in horto jacere, pro tribunalibus ſtare, per vias rapi, in cruce pendere. Et cui tuum tu impendis amorem? An huic rei N? an illi N? vel iſti N? Væ mihi ſi ampliùs fecero! Te ſolum ò amator mi, amabo te ſolum! Amen,

PRO SACRIS D. N. JESU CHRISTI STIGMATIBUS.

Affectus.

Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Zach. 13.

Conſideratio ex Ruperto Abbate Tuicienſi.

DIcitur ei; quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Quàmdiu putas, & quomodo hoc, & à quo, & à quibus dicetur ei? Nimirùm in ſæcula ſæculorum, ſine ceſſatione dicetur ei: & admirando admiratione ineffabili dicetur ei: & à DEO Patre, cui factus eſt obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, dicetur ei: & à Sanctis Angelis, qui in eum deſiderant proſpicere, dicetur ei: ab hominibus quos morte ſuâ redemit, dicetur ei: quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? O magnum miraculum? mirum ſpectaculum, in Domino Dominatore omnium, plagas habere in medio manuum ſuarum!

Quæ;

Quæritis quid ſint plagæ iſtæ? & ego dico vobis, quia teſtimonia ſunt Obedientiæ, ſigna voluntatis, & juſſionis paternæ. Dominus Exercituum, DEus Pater, mihi proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus vobis tradidit me. Et ego factus ſum obediens illi pro omnibus vobis usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Affectus Primus.

CHaritate perpetuâ dilexiſti me, hodieque pergis diligere, me, ò dilecte mi! & ego tam ſerò dilexi te, & etiamnum remiſſus in dilectione tua, ò dilecte mi! quàm doleo, quàm confundor! Olim ſtupuit cœlum & terra miraculum Incarnationis tuæ, dum animæ beatæ unitum fuit mortale corpus, ut pati poſſet; etiam modò miretur cœlum & terra, portentum Reſurrectionis tuæ, ubi in corpore glorioſò, ac pati neſcio, ſpectantur ac palpantur cruentæ vulnera paſſionis in cicatricibus ſempiternis. Imprime mihi Domine cicatrices iſtas, & lancinent cor meum altisſimo vulnere & vulnere ſempiterno; ut tui unius deſiderio langveat cor meum, tui unius amore moriatur, & moriens reſurgat, & te diligat in æternum. Amen.

Affectus Secundus.

VEnite, audite omnes, qui timetis, imò amatis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ. Ab æterno amavit me, & jam tum ſtatuit dilectam animam ſuam in mortem dare, ut me ab æterna morte ſervaret. Quid inſuper? In pedibus, in manibus, in latere ſuo deſcripſit me, mortisque ſigilla circumferens, gloriatur ſe mortuum eſſe pro me, ut ego vivam, & æternùm vivam; videamque in deliciis paradiſi æternæ ſignacula charitatis. Benedicant te Domine millia millium, & decies centena millia Angelorum. Non hoc ſatis. Benedicat te benignisſime JESU, multitudo miſerationum tuarum, & amoris tui melliflui ſvavisſima viſcera, in quibus viſitâſti nos oriens ex alto, in quibus redemiſti nos, & lavâſti nos à peccatis noſtris in ſangvine tuo, & vulneribus tuis, quorum perennia geris inſignia, ſemper memor noſtri. Amen.

Affectus Tertius.

ITanè ab æterno cogitâſti de me, & ſingulis etiamnùm momentis cogitas de me, & in æternum cogitabis ò amabilisſima Bonitas? Et ego tamdiu fui oblitus tui; etiam modò vix memor tui, & in poſterum tui potero oblivisci ò amabilisſima Bonitas? Quàm tædet, quàm pudet

det me mei! O magnum prodigium, quòd ab æterno amaveris me! Sed nunquid majus prodigium, quòd in æternum diliges me? Ibi enim amor latebat abſconditus: hic apparuit gratia, & benignitas tua ò Salvator mi; quia poſuiſti me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum, & hoc ſignaculum manebit in æternum. O nimia charitas, quid faciam tibi? Adhæreat lingva mea faucibus meis, ſi non meminero tui; tabeſcat in me anima mea, ſi non diligam te. Ponam te, ut ſignaculum ſuper omnia interiora, & exteriora mea; amabo te ſolùm in omnibus, & ſuper omnia in æternum & ultrà. Amen.

Affectus Quartus.

O Benignisſime, piisſime, clementisſime, ſvavisſime, miſericordisſime Domine, itane ab æterno decreviſti, me in tempore redimere, ideoq́ue te exanire, formamq́ue ſervi accipere, ac dicere, non veni miniſtrari, ſed miniſtrare: ego autem ſtatui me extollere, in honoribus vivere, ac dicere in corde meo: Non ſerviam. Peccavi Domino, ac ſtultè egi! Neq́ue tantùm pro me ſervi formam induiſti; ſed ut populi ſeductor; ut falſus Propheta; ut Rex ridiculus; ut homo fatuus; ut vermis, & non homo es habitus. Quid porrò? ut capitis reus, poſt acerbisſima vulnera, ad crudelisſimam raptus

ptus es necem; illiusq; necis, ac vulnerum perpetua monumenta in pedibus, manibus, corde in æternum gestare voluisti. Attonitus sileo, solisque suspiriis loquor. O utinam mille amoribus amem te? mille obsequiis serviam tibi, mille millenis laudibus prosequar te, omnibus diebus ac noctibus vitæ meæ; ac deinde totâ, quâ patet, æternitate. Amen.

Affectus Quintus.

QUid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? in medio pedum tuorum, in medio cordis tui? sunt æterni testes amoris; Divinæ monumenta pietatis; cruentæ trophæa victoriæ; nimiæ Symbola charitatis. Quid sunt plagæ istæ? sunt januæ Cœlorum; sunt claustra inferorum; sunt fodinæ gratiarum; sunt pignora gloriæ; sunt deliciæ hominum & Angelorum. Quid sunt plagæ istæ? sunt fontes aquarum viventium; langventium medicinæ animarum; omnium solatia peccatorum; omnium incitamenta justorum; sunt felicitas omnium. O utinam mergar, & absorbear pelago pietatis istius: abysso miserationum istarum; Utinam inter vulnera illa: intra viscera illa, abscondar, ibique perpetuo stupore defixus, exclamen æternitate totâ; DEUS meus, & DEUS meus, & Amor meus! Amen.

PRO PERPETUO GLADIO REGINÆ MARTYRUM,

Affectus.

VArii varium numerum dolorum Virginis Matris aſſignant. S. Vincentius Ferrerius, & B. Alanus de Rupe centum & quinquaginta recenſent, Quindecim ego ſeligo, eosque in certa ætatis Chriſti tempora, per tres quinarios diſpertior, hoc pacto ut quinque primi, infantiam Chriſti complectantur: quinque alii annos ejusdem usque ad paſſionem; quinque reliqui, tempus cruciatuum ultimorum. Prima quinque dolorum myſteria, in Chriſti infantia ad annum duodecimum, ſcilicet. Annunciatio, Nativitas Chriſti, Circumciſio, Gladius Simeonis, Fuga in Ægyptum. Alia quinque ab anno Chriſti duodecimo, usque ad Paſſionem, videlicet, Amiſſio Filii duodennis, Mors S. Joſeph, Irriſio Filii, Decollatio Baptiſtæ, Mœror ſuper Filio, cùm quærerent eum Judæi ad interficiendum. Poſtrema quinque ipſo tempore Paſſionis: Scilicet Valedictio Filii. Virgo obviam facta Chriſto crucem ferenti Crucifixio; Exceptio in ſinum, Sepultura.

1. Affectus in Annunciatione.

COnſcia es, ò Virgo, Filium quem concipis, ad crucem tandem rapiendum, & dicis; Fiat mihi? Quid ſi illam necem innumera mala præcurrant? Quid ſi rejectus à ſuis, naſcatur in ſtabulo? Quid ſi cultro cruentetur? Quid ſi inter Ægyptios exulet? Fiat mihi! Quid ſi cum fame luctetur, & ſiti? æſtu uratur & gelu? plurimis annis inter familiæ latebras, fabrile opus exerceat? Fiat mihi! Quid ſi ſuſtineat odia civium, invidiam Principum, contumelias omnium? Quid ſi vincula, alapas, flagra, ſpinas, clavos, & duriſſimam mortem? Fiat mihi! Æmulus Virginis, ſed ejusdem precibus fidens, audeo & ego ſæpiùs ingeminare, Fiat mihi; ut corporis incommoda, animi moleſtias, cœli injurias, ſortem adverſam, damna bellorum, morborum tædia, & quidquid DEO placitum eſt, tolerem. Amen.

2. Affectus in Nativitate Chriſti.

O Prodigium gaudii ſimul & doloris! Salve, inquit Deipara, Fili mi, & oſculabatur eum, ſed lachrymando, quia præſagiebat illud: Ave Rabbi. Ecce DEUS, & canitur Gloria in altisſimis! ſed quid illud? Ecce homo, & clamabitur. Crucifige eum. Hîc in ſtabulo, ibi in horto: hîc in ſtramine,

ibi cum arundine: hîc in fasciis, ibi in vinculis; hîc in præsepi, ibi in cruce; hîc inter matrem & nutritium, ibi inter duos latrones hîc lacte Virgineo satur, ibi felle, aceto, & opprobriis saturabitur; hîc tenero vagitu vitam inchoat, ibi clamore valido, & lachrymis vitam finiet. O quàm diversa sors, sed æquo animo accepta à Virgine! Lubens & ego feram, si mihi dolore gaudium misceatur: si in sublimitate demissio; in splendore obscuritas; in prosperis adversitas; in sanitate ægritudo; in divitiis paupertas obtingat. Amen.

3. Affectus in Circumcisione.

MAter ecce Filius tuus. Pallent illius labella corallina: marcent roseæ genæ; ubertim stillant geminæ ocellorum gemmulæ; crebrò gemit os formosulum; alternis singultit pectusculum lacteum. Mater, ecce Filius tuus. Miserè tremunt frigidulæ manus; undiq; titubat mollicella caro; tenerè palpitant parvula cum corculo viscera; toti trepidant infantiles artus. Mater ecce filius tuus. Rigidam dexteram tenerrimus experitur; insons tormento plectitur; infantulusque quem vixdum habet sangvinem profundit. Itanè sine culpa reus damnati culpam luit? Fateor, ego sum

nocens,

nocens. O mi JESU applica precor, vim nominis tui animæ meæ, & innocens ero; munda me recenti hoc sangvine tuo, & super nivem dealbabor, nec amplius te offendam. Amen.

4. Affectus in Occursu Simeonis.

QUot sæculis expectatus, quot signis adumbratus, quot vaticiniis prædictus, quot votis expetitus, quot suspiriis exoptatus, quot denique lachrymis quæsitus, offertur? Sed heu! quanto simul dolore Matris à Simeone audientis: Ecce positus est hic in signum cui contradicetur. Interim, ò anima mea, pro te, & tibi offertur, ut tuus, & omnimodo tuus. Accede & postula, ut munus dabitur; admitte, ut depositum tibi credetur; exige, solvetur ut debitum; tolle, cedet ut pignus; immola, tibi erit ut victima. Nihil moror, nihil trepido, cœleste hoc munus, immortale depositum, liberale debitum, tutum pignus, nobilem victimam; fidens postulo, fidelis admitto, constans exigo, securus tollo, felix immolo. Tot beneficiis vallatus non renuo etiam poni in Signum cui contradicetur. Amen.

5. Affe-

5. Affectus in Fuga in Ægyptum.

VIdeo Herodem Innocentium in cæde grassari, & tu exercituum Domine fugis? Tu cui jam nomen est: Accelera, spolia detrahere; festina prædari? verùm alius modò pugnæ modus, jam Imperator inermis est, cui sagum panniculi; balteus fasciæ; tympana gemitus; tuba vagitus; clamor lachrymæ; tela suspiria; cui campus Martius stabulum; currus falcatus præsepe; sonipedes, asellus, & bucula: cui certare est vinci; cui stare jacere est, cui denique triumphare, est fugâ sibi consulere. Nova hæc prælia Domini, cui stipendia merere desidero: furori cedere, non optare vindictam; non ulcisci, quantumvis possim: Non vinci à malo, sed vincere in bono malum; hostibus vitam servare; non lædere: omnibus benè velle; imò de iisdem benè mereri. Amen.

6. Affectus in Amissione Filii.

CHristus totus est amor, qui ab aliquo amante nunquam potest admitti. O duo Seraphini MARIA & Joseph, quid suspiratis ad a-

 morem

morem illum quo estis accensi ? quid Christum quæritis, quem amittere non potestis ? Si Christus Deus est, de eo scribitur : In eo vivimus, movemur, & sumus : Si homo est, & ametur à vobis,de amante quolibet legitur : amans magis est ubi amat,quàm ubi animat : ergo quid quæritis eum,in quo ipsimet toti estis? Hei mihi! quoties ego amorem illum malè amisi ; & quod pejus est,amissum quoties non quæsivi! Surgam,& circuibo civitatem : per vicos, & plateas, quæram eum qui diligit animam meam , & quem anima mea non dilexit, Jam modò diligo eum, & per gratiam possideo eum, & possessum ampliùs non dimittam. Amen.

7. Affectus in Morte Sponsi.

ANgele mi fidelissime, ait Virgo, mi Sponse virginee, animæ solatium meæ sicne divellimur ? vir desideriorum, vir secundùm cor Dei , comes in peregrinationibus ; adjutor in consiliis, levamen in curis, siccine divellimur ? Electe divinitùs in custodem Virginitatis meæ , in caput familiæ , in nutritium Filii siccine divellimur ? Benedictio Filii mei sit super te Sponse mi, Angele mi, dilecte Deo, & hominibus, mi Joseph ! Pro dolor!

dolor! quid tandem mihi ærumnosæ fiet, dum cruenta tempestas, in Filium innocentem incumbet? Quis tum illi, quis mihi te absente, solatii locus? Dixit: & flevit. Disce mecum, quisquis es, amicis etiam intimis carere; omni humanâ ope destitui; soli Deo velut Anchoræ in fluctibus mediis inniti. Hoc volo, ad hoc totus adnitor. Amen.

8. Affectus in Irrisione Christi.

QUæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? Contra Judæi clamant, Matre licet ingemiscente; Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? O portentum! Hæc audiens ò mi Christe, vel taces, vel benignè respondes? Quandonàm irato cœlo fulmen erumpet, si nunc serenum est? Verùm ille inculcat hoc insuper: Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversùm vos. O impotentes animi mei motus, silete; jam fræna disce pati insane furor, ad duella prosiliens hic; Christus mundi leges, ac temeraria jussa condemnat; sed hoc addit solatium: Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Amen.

9. Affectus in Decollatione Joannis.

QUis desiderio sit modus tam chari capitis, tam dilecti Baptistæ, tam electi Prophetæ & plusquàm Prophetæ ? sed & graviora hinc auguror mala. Sponsus sublatus est; Baptista capite minutus est, quid superest, quàm ut vicinam Filius rapiatur ad necem ? Fiat ita, Fiat mihi secundùm verbum tuum! Hæc secum mœsta virgo. Ad alia me convertens, exclamo: O Regis temerarium jusjurandum! ò matris adulteræ facinus inauditum! ò filiæ saltatricis insana petitio! ò iniqua dissimulatio procerum ista spectantium! ò formidolosa convivia! ò periculosi saltus! Quid dicam ego inter tot peccandi discrimina ? Firmabo me hoc veritatis oraculo. A diebus Joannis Baptistæ, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Amen.

10. Affectus in Præcipitatione Judæorum.

CUr oculi tui fletu madent, ò suavissima? Si isto ex monte Filium dejectum iri scires, rectè quidem. Verùm credis alterius juga montis ascensu superanda esse. Hæc ipsa, ait: mearum est causa lachrimarum, & Calvariæ

memor,

memor, ad cujuslibet montis aſpectum, tota deficio. Quin, & hic civium furor, ejectio Filii ex Synagoga, expulſio ex urbe, raptatio in montem, graviter me affligit. Et ego tecum affligor piiſſima! Sed ad eundem montem conſiſtens, aliud ſimul meditor. Tametſi ſupremum diſcrimen mihi imminere conſpicerem: jam jamque quaſi ad ſupercilium montis ductus eſſem, agendus in præceps: ſuperſperabo in eum qui olim per medios hoſtes ivit incolumis. Amen.

11. Affectus in Valedictione euntis crucifigi.

UBi jam illæ magnificæ Archangeli voces: Ave gratiâ plena, Dominus tecum: Ecce jam immenſis plena doloribus. Ecce jam Dominus à te per amplexum amariſſimum divellendus. Ubi jam repleta Spiritu Sancto Eliſabeth, quæ exclamavit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui! Nunquid non jam voce majore exclamaret, ærumnoſiſſima tu inter mulieres, & maledictus fructus ventris tui; quia maledictus omnis qui pendebit in ligno: Verùm cùm meæ ſalutis causâ iſta ſic fiant; terrâ, cœloque audiente, voce magna pronuntio, te millies, & centies millies eſſe be-

nedictam ò Virgo piissima, Martyrum Regina! Quin etiam voce majore proclamo, Filium tuum infinities millies benedictum, ac benedicendum in æternum, & vltra! Amen.

12. Affectus in Occursu Filii.

UNde venisti, inquit Mater, dilecte mi, ah! Unde venisti? Pro dolor! à sangvineo sudore; ab arctis vinculis; à dura raptatione; à crinium vulsione; à crudeli flagellatione; ab horrida coronatione, ad hoc funestæ Crucis pondus, laceris humeris sustinendum. Et quonam iturus es? Ad atrocia tormenta; ad Calvariæ culmen; ad vestium spoliationem; ad vulnerum innovationem: ad fellis potum; ad acerbissimam fossis manibus, pedibusque laniенam; ad infame suspendium; ad novos gemitus, ad clamorem validum, & lachrymas, & amarissimam mortem. Homo querule, quid toties quereris? ubi tuus sudor cruentus? ubi catenæ, flagra, spinæ? ubi felleus potus, clavi, vulnera, Crux talis? Tacebo confusus, & tantùm ingeminabo: Deus propitius esto mihi peccatori. Amen.

13. Affectus in Domini Crucifixione.

ECce novum tribunal Judicis vivorum, & mortuorum, sed jam Rei: Domini omnium,

um, ſed jam ſervi; Dei immortalis, ſed jam morientis! Parce ò Judex, qui pro me Reus es: Parce, ò Domine qui pro me ſervus es! Parce Deus, ò qui pro me moreris! O mi Judex, ſed ſimul miſericordiarum Pater es. O mi Domine, ſed pariter primogenitus Frater es. O mi DEus, ſed idem ſangvinum Sponſus es. Dicam ego ſpe erectus, ac plenus, non verebor hoc forum ubi Patris eſt judicare; ubi Fratris eſt fidejubere; ubi Sponſi eſt ſententiam dicere. Quid porro? Accreſcit fiducia, quia eadem in Curia, mihi patrocinabitur Mater. Ab ipſomet Judice id ſolatium datur, qui non tantùm Joanni, ſed in ipſo dixit & mihi: Ecce Mater tua, Virginem Cruci adſtantem mihi in Matrem conſignans. Amen.

14. Affectus in Depoſitione de Cruce.

O Viator ſtupende Chriſte JESU, qui ab itineribus æternitatis tuæ, & à ſummo cœlorum digreſſus; per vias invias, per montes, & valles, per urbes & oppida, per terras, & maria, animam meam aſſiduo labore quæſiviſti: Recordare JESU pie, quòd ſim cauſa tuæ viæ: Ne me perdas illâ die. Die illâ tremendâ, quando cœli movendi ſunt, & terra; quando veneris judicare, noli me condemnare! Quærens me

ſediſti laſſus, Redemiſti Crucem paſſus; Tantus labor non ſit caſſus. Sediſti laſſus ad fontem: flexiſti laſſus in horto: ſtetiſti laſſus ad columnam: iviſti laſſus ad montem: pependiſti laſſus in Cruce: jam laſſus, imò exanimis in hoc gremio jaces. Ah! tantus labor & dolor, ſudor & cruor: tantus amor non ſit caſſus! Quare eligo priùs mori, quàm poſthàc te offendere. Amen.

15. Affectus in Sepultura.

SEpeliaris Domine in corde meo: ibi invenies quod quæritur marmor, & marmor novum. Siquidem in tuis, Matriſque doloribus petræ ſciſſæ ſunt: marmorea ſepulchra adaperta ſunt; elementa omnia turbata ſunt; & eheu! Cor meum novâ ſuâ duritie manſit immotum! At enim dixiſti Domine, auferam cor lapideum, & dabo vobis carneum. Da mihi cor illud carneum, ac facile, ad parcendum inimicis, ad gratificandum amicis, ad opitulandum miſeris omnibus. Da cor illud carneum, quod compunctione ſcindatur, pietate molliatur, minis cedat, flagellis emendetur. Quòd ſit gratum in beneficiis, fidum in conſiliis, benevolum in humanis, reverens in Divinis, circumſpectum in omnibus. Da mihi cor illud carneum, quod tuo ac Matris dolore liquefiat, quod utriuſque

amore

amore moriatur. Hoc unum volo, ac peto. Amen.

Adhortatio Reginæ Martyrum ad suos clientes, ut sibi dolenti condoleant.

EJa nunc age, quisquis es, specta mulierem, naturâ teneram, uberibus lachrymis mersam, & miseresce. Specta Virginem, indole nobilem, doloris gladio sauciam, & ingemisce. Specta Matrem amore ebriam, super unigeniti, & talis unigeniti morte plangentem, & contabesce. At fortasse, quænam sit illa Mulier, quæ Virgo, quæ Mater inquiris? Illa ego Mulier quæ ærumnis absorpta, sub cruenta Cruce te genui, Filium doloris mei, de quo sub alterius nomine dilectus meus: Mulier, ecce Filius tuus! hoc nomine te designans. Illa ego Virgo, notum miseris asylum, afflictis levamen, Fons omnis solatii, jam misera, jam afflicta, jam omni solatio destituta. Illa ego, denique Mater, flebilis JESU Mater, quæ super unici illius morte lamentor; & tali morte, cujus immanitate, indoluêre saxa; & inhorruit terra. Igitur, lugete mecum quotquot estis omnes! Sed ò præ reliquis, miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, vos clientes mei, quia ama-

ritudine valdè replevit me Omnipotens. Aſpicite iterum, aſpicite amaras haſce lachrymas, & cor altisſimi doloris mucrone transfixum: Verùm ſi obdureſcitis homines; ſi vel maximè vos Clientes, & ſodales mei, filii mei, viſcera mea, gemituum meorum ne quidem recordamini? tu iterum mecum terra plange, ſaxa rumpimini: tu denuò cœlum ingemiſce, & vos Angeli pacis amarè flete.

OF-

OFFICIUM
PARVUM
DE SEPTEM DOLORIBUS B. V. MARIÆ.

AD MATUTINUM.
Gladius à Simeone prædictus.

Eja mea labia nunc annunciate,
Dolores, & Compassionem Virginis Beatæ.

DOmina in adjutorium meum intende.
Domina ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

SEptem tuos dolores Maria dum considero,
Tecum pati labores, tecum mori desidero:
Annæ gemit senectus; & Simeon affligitur,
Doloris ense pectus, quando tibi transfigitur.

Vers. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.

Resp

Resp. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oremus.

INterveniat pro nobis quæsumus Domine JEsu Christe, nunc, & in hora mortis nostræ, apud tuam clementiam, B. Virgo MARIA Mater tua, cujus Sacratissimam animam, in hora passionis tuæ doloris gladius pertransivit; per te JESU Christe Salvator Mundi, qui cum Patre & Spiritu Sancto, vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

Fuga in Ægyptum.

DOmina in adjutorium meum intende.
Domina ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

FUgis Maria! prolis onusta charo pignore,
Et luminare Solis, de nocte vis abscondere,
Ægyptus est asyli locus tuis amoribus,
Juxta fluenta Nili, liquescis in doloribus.

Versus, & Oratio ut suprà ad Matutinum.

AD

AD TERTIAM.

Filii Amissio.

DOmina in adjutorium meum intende.
Domina ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

IN Patris esse rebus, cùm nesciebas Filium,
Visa es tribus diebus, pallere sicut Lilium:
Clamans per angiportus Fili! replebas æthera,
Dictura plùs; obortus dolor premebat pectora.

Versus, & Oratio ut suprà.

AD SEXTAM.

Occursus Filii cum Cruce.

DOmina in adjutorium meum intende.
Domina ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

EN fert trabale lignum, flagrisq; JEsus icitur,
O Mater! ecce signum, cui porrò contradicitur:

Eheu! Crucem ferenti, corpus pluit cruoribus,
Et cor tibi Parenti ſubmergitur doloribus.

Verſus, & Oratio ut ſuprà.

AD NONAM.

Adſtat Crucifixo.

DOmina in adjutorium meum intende.
Domina ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

CAlvaria eſt amoris, & eſt doloris Vinea,
Sunt præla Vinitoris, Clavi, & Corona ſpinea,
Dum fixus eſt JESUS, Crucisq; calcat torculum,
Amor dolore læſus, premit Mariæ corculum.

Verſus, & Oratio, ut ſuprà.

AD VESPERAS.

Gremio excipit depoſitum de Cruce.

DOmina in adjutorium meum intende.
Domina ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

Hymnus.

MARIA quando petra ſenſu doloris ſcinditur,
Dieſq; nocte tetrâ luget: tibi cor finditur:
Depoſta membra ligno, ſed membra caſſa lumine
Foves ſinu benigno: lavas doloris flumine.

Verſus, & Oratio ut ſuprà.

AD COMPLETORIUM.

Planctus ad ſepulchrum.

DOmina in adjutorium meum intende.
Domina ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

CUm Jeſu ſepulto lapis ſepulchro advolvitur,
Tibi Maria multo dolore, vita ſcinditur:
Sedens ad antra tumbæ, mœſto ſuſurro murmuris,
Inſtar gemis columbæ, & plangis inſtar turturis.

Verſus, & Oratio ut ſuprà.

COMMENDATIO.

O Mater, ut dolorum per hanc amaritudinē,
Cœleſtium bonorum deguſtem ſvavitudinem:

Tecum

Tecum pati dolores, tecum mori desidero,
Septem tuos dolores, dum plango, dum con-
sidero. Amen.

Oratio devotissima.

DOmine JESU, per illam amaritudinem, quam sustinuisti pro me in Cruce, maximè quando anima tua benedicta egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo, & perduc eam in vitam æternam.
AMEN.

FINIS.

Index

Index Paragraphicus.

Pro Cruce perpetua ab Incarnatione.

Mors

Veroni-

Stara matka Bo,

Deus Deus meus
ad te de luce vigilo